6
36-B
12

6
П 4 M
34

T. 3.

6. – 36. B. 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
SACRIS BALNEIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google


PAVLLI M. PACIAVDI C. R.

HISTORICI ORDINIS HIEROSOLYMITANI
REGIAEQ. PARISIENSIS ACADEM. INSCRIPT.
ET HVMANAR. LITERAR. SODALIS

DE SACRIS
CHRISTIANORVM
BALNEIS

LIBER SINGVLARIS

SECVNDIS CVRIS
EMENDATIOR ET AVCTIOR



IN·MVSEO·AVCTORIS·

ROMAE CIƆIƆCCLVIII

EXCVDEBANT FRATRES PALEARINI
PVBLICA AVCTORITATE

Digitized by Google

AVCTOR
CHRISTIANO LECTORI

Χάριν, καὶ εἰρήνην ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

OCTAVVS jam annus agitur, ex quo, quum Venetiis adverſa admodum valetudine tenerer, commentatiunculam edidi de Balneis Chriſtianorum, ſed illam, ut fatear quod eſt, neque ea rerum copia, ubertateque inſtructam, quae diligentius inquirenti mihi ſuppetere poterat, neque ea deſcriptam accuratione, quae hac hominum aetate in tanta litterarum luce videbatur perneceſſaria. Verum per diuturnam, moleſtamque, qua angebar, aegrotationem vix licuit levidenſe illud, & male exaſciatum opus, quale tum prodiit, mandare litteris, typiſque vulgandum contradere. Nihilominus argumenti, ut ego arbitror, novitate accidit, ut quae excuſa fuerant libelli exemplaria, brevi temporis intervallo diſtraherentur omnia, eſſentque Bipliopolae potiſſimum tranſalpini, qui a Veneto Typotheta illa ſibi tranſmitti ſaepenumero flagitarent. Ex quo de commentario retractando, perpoliendoque, &, quantum tenui ingenio providere poſſem, illud ſuis abſolutum numeris iterum edendi conſilium mihi injectum eſt. Hunc vero quo fidentius, alacriuſque in me ſuſciperem laborem, plurimum ſane effecerunt virorum illuſtrium cohortationes, qui

non

non ſemel ſuis in litteris, aut etiam in editis libris noſtri operis praeſtantiam, utilitatemque humaniſſime commendarunt. Atque inprimis honoris cauſſa, grataeque mentis inſtinctu commemorandus mihi eſt ter Beatiſſimus Pontifex, ingenii gloria, & eruditionis fama nullo non tempore apud eos, qui de doctrina aliquid poterunt aeſtimare, magno in nomine futurus Benedictus XIV., qui mihi per epiſtolas, coramque verbis, ut aſſolebat, ſapientiſſimis, iiſdemque amantiſſimis, ad haec perſcribenda ſtimulos interdum adjecit. At toto octennio qua graviſſimis negotiis, muneribuſque praepeditus, qua aliis ſacris, profaniſve Antiquitatibus illuſtrandis, edendiſque occupatus, numquam, niſi per hos dies, exoptatum illud otium adeptus ſum, ut huic quamvis tenuiſſimo operi manum poſſem admovere. Itaque his oneribus, quibus premebar, aliquando ſolutus, fidem, quam cum viris optimis, amiciſque obligaram, conor liberare, noſtraſque obſervationes multo uberiores, & ornatiores in hominum conſpectum, lucemque prodire jubeo. Quid autem in hac nova editione adornanda majoris ſtudii, operae, laboris contulerim, quadantenus Lectori antedenuncio.

Altius quidem, quam antea feceram, ac prope ab ultima Chriſtiane diſciplinae memoria ſacrorum Balneorum originem, uſumque repetendum eſſe oſtendi. Quem morem ad inſequutas aetates productum, & continenti obſervantia confirmatum, ut latius, liquidiuſque exponerem, non modo praeclariſſima illuſtrium ſcriptorum teſtimonia, qua potui accuratione,

ne,

ne, certoque ordine collegi, ſed inſignis aedificii Romae quondam exſtantis imaginem, qua nihil in hac re praeſtantius, ex Vaticani Tabularii apographo expreſſam ob oculos hominum propoſui, univerſamque tractationem novis monumentis cumulavi, quorum intuitu ſolet animus jucundiſſima expleri voluptate. Contra vero, quum de Neapolitanae Metropoleos balneis, deque veteri codice Bibliothecae S. Paulli differenti, multa de illius Eccleſiae ritibus perturbate, minimeque vero conſentanea excidiſſent, id mihi antiquiſſimum fuit, ut ea ex libro expungerem, mutatoque conſilio, quae ſcribebam, ad clarorum virorum, praeſertimque unius τοῦ πολυμαθεστάτου, καὶ φιλτάτου Symmachi Mazochii ſententiam accomodarem;

. . . . quibus iſthaec qualiacumque
Arridere velim, doliturus, ſi placeant ſpe
Deterius noſtra . . . .

In interpretanda tamen memorati codicis pictura, ejuſque affiguratione declaranda, quoniam plura a me fuiſſe praetermiſſa intelligebam, quae poterant aut in legendo deſiderari, aut noſtris inſtitutis aſſerendis apprime juvare; muneris mei eſſe ſtatui monumentum illud, quod olim ſcriptioni noſtrae occaſionem dederat, omni ex parte illuſtrare. Verum, quum omnes caeremoniae, quae ad religioſam munditiem nanciſcendam pertinent, habeant commune quoddam vinculum, & quaſi cognatione quadam contineantur, noſtra oratio ad minores lotiones explicandas, quae a ma-

a majoribus noſtris pio quodam obtentu fuerant invectae, veluti ſponte ſua dilapſa eſt. In quo praeterea Liturgicae doctrinae, vel Conciliorum ſanctionibus, vel priſcis Eccleſiae ritibus, quorum non ſatis perſpicua notio videbatur, aliquid lucis affundere adniſi ſumus. Horum omnium ne minima quidem in priori editione mentio a nobis injecta fuerat; quare, ut ſacrae antiquitatis ſtudioſis gratificaremur, rem penitius inveſtigavimus, lateque ſumpſimus pertractandam. Quandoquidem vero nulla plane in re certius, aut ſplendidius veterum ſacrarum expiationum indicium, ac teſtimonium licet deprehendere, quam in marmoreis, & anaglyphis illis vaſis, quae in templorum propylaeo ad luſtrationem parabantur; aliquot nobiliſſima Latinae, Graecaeque Eccleſiae monumenta, nondum antehac edita, in lucem extuli, quae de communi, conſtantique diſciplina condocefacerent. Atque in ejuſmodi urnarum, & concharum inſcriptionibus, emblematiſque explanandis plura hiſtoriae Eccleſiaſticae capita retractavimus, quae iniquioribus verae, ſolidaeque doctrinae detractoribus refutandis prodeſſe merito, atque optimo jure arbitrabamur.

Alterum eſt, de quo ego, quantum facere, enitique potui, in novo hoc commentario ediſſerere inſtitui. Scilicet quum antiquatis jam balneis, aliiſque dimiſſis lotionibus, una apud Catholicos Aquae conſecratae luſtratio recte, ſancteque cuſtodiatur, quae tamen in tantam Haereticorum hujus noſtrae aetatis invidiam, tantumque contemptum venit, ut nihil ſit tam improbum, tam falſum, tam calumnioſum, quod ad

ad eam a *Sacris Chriſtianorum* removendam non excogitarint, cum noſtri operis, ſuſceptaeque diſputationis ſcopo omnino congruere putavi, ſi veterrimam adeo, probatamque caeremoniam a malevolentiſſimis obtrectationibus vindicarem. Qua in re non ea, quae multorum ſunt mandata libris, iterare neceſſarium duxi, ſed novam mihi ineundam eſſe viam exiſtimavi, eoque orationem devolvi paſſus ſum, quo illam pravitas accuſatorum vocabat. Quos ego accuſatores quum tam perverſe [graviori enim verbo uti non libet] in nos animatos perſpicerem, ut non modo luſtrationes, ſed omnem pene rituum diſciplinam de medio tollere velint, toto in libro nullam opportunitatem reliquam feci, quin illos pro virili parte refellerem, & noſtrarum rerum cauſſam, defenſionemque ſuſciperem. At quia dudum cognoram, eam eſſe adverſariorum indolem, ut ad ſacra Orthodoxa labefactanda nihil afferant, praeter callidas ſubtilitates, furtivas ſententiarum particulas, intercisa veterum ſcriptorum teſtimonia, eapropter illo uſus ſum diſputationis genere, quo his hominibus reſpondendum probe jam ſtatuerat Facundus Hermianenſis ad Juſtinianum Imperatorem pro defenſione trium Capitulorum. Refellendos nimirum ſuſcepi *divina auctoritate, atque neceſſaria ratione, & antiquorum Patrum teſtimoniis, quorum ſe nobiſcum doctrinam accipere mentiuntur* [1]. Si cui vero videbitur, aſperius, acerbiuſque me cum illis ipſis egiſſe, quorum doctrinam aliis in rebus nonnunquam ſoleo ſuſpicere, ac etiam collaudare; id meo

b pro

1 *Lib.* II. *cap.* III. edit. Sirmondi *Pariſiis* 1696.

pro Eccleſiae legibus tuendis, ulciſcendiſque juſtiſſimo tribuat amori. Catholico enim ſcriptori pro patriis, ac ſacerrimis praeceptis, inſtitutiſque diſputanti id animo propoſitum, fixum, immotumque eſſe debere ſemper arbitratus ſum, quod Theodorus Studita Baſilio Archimandritae ſcripſit, ut τὴν ἀνδρικὴν ὑπὲρ τῦ λόγυ τῆς ἀληθείας ἐκδίκησιν, *virilem pro veritate concertationem* [1] ſuſcipiat, nec ullo ſtudio flecti ſe, aut contra nefarios, & perduelles Fidei hoſtes ab orationis contentione avocari patiatur.

Memoria etiam tenebam, quum opus recuderem, fuiſſe Italum litteratorem, qui, quum primum hic liber in manus hominum venit, vehementer miratus eſt, quod ego Epiſcopos balnea frequentaſſe affirmarim, perinde ac ſi rem ab Antiſtitum gravitate, dignitate, ſapientia abhorrentem confinxerim. Hunc ego ſcriptorem, quoniam ſacrarum antiquitatum ſtudium affectare cernebam, illius litteris reſcribens ad inſigne Eunomii Epiſcopi Samoſatae exemplum, quod a Theodorito litteris proditum eſt, ablegavi: quo nihil diſertius, nihil luculentius ad eam accuſationem depellendam proferri poſſe mihi viſum eſt. Narrat ſiquidem Theodoritus, Eunomium in balneo ſtantem caeteros, qui aderant, comiter invitaſſe, ut ſecum lavarent; ſed neminem, eo praeſente, balneum eſſe ingreſſum, quod Epiſcopus Arianorum partibus, impiiſque dogmatis faveret, populus vero Samoſatenus Orthodoxiam profiteretur. Quin etiam neminem poſtea eo in balneo ſe ſe emundaſſe, niſi omni aqua ejecta, qua Epiſ-

1 *Epiſtolar. lib.* 1. *ep.* xxxv. *to.*v.Sirmond.

Epiſcopus uſus fuerat, ac ſi haereticae perfidiae contagione eſſet infecta, & nova illuc corrivata [1]. Nihli ergo attinebat de re adeo certa, & perſpicua in novo commentario vitilitigare, nec ullum ultra verbum, aut operam inſumere inanem huic quaeſtioni, quae tota per ſe concidit, perſolvendae. Eorum tamen, quae aliquid negotii ſpecie tenus exhibere videbantur, plana, atque aperta explicatio a nobis hoc ipſo libro tradita eſt [2].

Illud nunc relinquitur, ut dicam de duobus ſacris emblematis, quibus tum operis frontem, cum poſtremam ipſius paginam decoravimus. Primum quidem muſeoli noſtri Chriſtianum κειμήλιον antiqui operis refert ex lapide Haematite, cui hinc inſculpta effigies *Boni Paſtoris*, veſte breviori, & caligis, more pene paſtoritio induti, qui ſegregans oves ab haedis, ſublatiſque in coelum manibus, Patri gregem ſuum commendat, docetque, quam diverſa in ſupremo die ovis, & haedi ſors ſit futura: illinc formula ἐυχαριστικὴ litteris quadratis inciſa legitur: ΑΓΑΘΗ ΗΝΑΚΟΗΘΗ, *Agatha exaudita eſt*. Sic vero gemma tenui corolla circumquaque colligatur, annulo deſuper eminente, ut pateat, immiſſo per annulum loro, Chriſtianam feminam collo appenſam illam geſtaſſe. In poſtrema operis pagina oculis eruditorum objicio ex muſeo viri celeberrimi, meique amantiſſimi Hannibalis Oliverii ſchema thecae argenteae (VIII. vel IX. ſaeculi opus) ad orbem cereum ſacrum, ſive, quod ajunt, *Agnum Dei* cuſtodiendum affabre com-

 para-

1 *H. E. lib.* IV. *cap.* XV. *Cantabrigiae* 1720. 2 *Cap.* IX.

paratae. Neque haec duo ornamenta illo tantummodo conſilio vulgavi, quod ea aetate ſcribimus, qua homines ſummopere allicjuntur ſacrae vetuſtatis monumentis, quibus & varietas gratiam, & antiquitas ipſa auctoritatem conciliat; ſed quod exinde bina noſtrae diſciplinae capita praeclariſſime confirmantur. Nam ad gemmam quod ſpectat, evidenti argumento illa eſt, ſummo in errore verſari nuperos Iconomachos, qui Servatoris Jeſu, & Divorum imagines veteribus Chriſtianis nonniſi ad ἐπίφασιν, vel ἀνανέωσιν fuiſſe propoſitas contendunt [1], ut ſcilicet illarum adſpectu ad virtutis officia excitarentur. Porro icunculam hanc non tamquam merum exemplar, aut memoriale geſtavit Agatha, ſed illam in ſalutis praeſidium, vitaeque tutamen in aliquo graviſſimo diſcrimine poſita ſibi adſcivit, ideoque illi cultum aliquem adhibuit. Secus enim, qua ratione cum Chriſti imagine componi poterat inſcriptio, qua mulier piiſſima profitetur, Paſtorem animarum a ſe exoratum ſuis precibus, votiſque arriſiſſe, quin inſimul benefactoris, Soſpitatoriſque ſui effigiem aliqua obſervantia, debitoque eidem honore proſequeretur?

Atque haec ſcribenti convellenda mihi obiter fuit Angli ſcriptoris cavillatio. Eſt is Guilhelmus Muſgravius, qui inepta ſubtilitate, & frivola λογομαχίᾳ tricari videtur in explicatione aureae Bullae, in Belgio ſaeculo ſuperiore ad Tonae fluvii ripam inventae, cui Jeſu Chriſti protome, encauſto ſubducto, picta viſebatur,

1 V. Richardi Montacutii *Origines Eccleſiaſticas tom.* II. *parte* II. §. 169. *Londini* 1636.

tur, adjecta circulatim epigraphe: AELFREDVS (*Rex*) ME JVSSIT FABRICARI [1]. Namque hujus numiſmatis uſum deſcripturus ſic ſtatuit. Aelfredus Angliae Rex, a Leone IV. Pontifice Romano ſive baptizatus, ſive inſtructus, quum ſaepe adverſus Paganos decertaret, & quidem eventu belli vario, hanc *Icona* fieri curavit, ut in anguſtiis, & rebus dubiis, quibus ſaepe premebatur, univerſi Soſpitatoris inſpecta imagine, ſolatium ex ea caperet, & poſita in eum fide, fortius in hoſtes irrueret. Ita enim bulla compoſita, ut collo dependens, geſtari poſſet [1]. Veritus tamen Muſgravius, ne quid pro ſacrarum imaginum cultu ex ea narratione elici poſſet, confidentiſſime addit: Aelfredum nullum huic imagini exhibuiſſe honorem, ſed illam tamquam μνημόσυνον habuiſſe; qua nimirum conſpecta, ſibi in mentem venirent virtutes patientiae, tolerantiae &c., quarum Jeſus Chriſtus magnum exſtitit exemplar. Equidem non intercedo, quo minus dicatur, imagines virorum, qui praeſtanti virtute, & rerum ſancte, fortiter, ſapienter geſtarum magnitudine, tutiſſimam ſibi ad coelum viam munierunt, Chriſtianis hominibus proponi ad recte factorum imitationem, ſive ut Cyrillus contra Julianum dixit: παρα τ̃ ἀρετ̃ ἀναμνησιν *ad virtutis admonitionem* [2]. Hac etiam mente fuiſſe Patres VII. Synodi [3], aſſentior. Verumtamen cum pietatis ardore, ſtudioque, quare cultus erga praecellentes viros, quos imaginum ope, quaſi praeſentes, cogitatione intuemur, conſociari haud poterit?

Cur

1 In libro, qui inſcribitur. *Geta Britannicus. Accedit Domus Severianae ſynopſis chronol. & de Icuncula quondam M. Regis Aelfredi Diſſertatio. Iſcae Dunmoniorum* 1706.

2 *Lib.* VI.

3 *Seſſ.* VI.

Cur non etiam illorum ſimulacra, dum ſummam virtutem ſuſpicimus, auxiliumque expoſcimus, certa quadam obſervantia non licebit revereri, quum alterum ex altero proficiſcatur? Non hic ſane eſt animus vexatiſſimis argumentis, quae ad indicandam malevolentiam apertiſſima ſunt, ad nocendum leviſſima, refellendis operam navare: innumeri ex noſtris Theologis eas partes ſtrenuiſſime egerunt. Sed haec libuit carptim commemorare, ut multo magis pateſceret, quo uſque Anglum hominem inſita menti perverſa opinio a vero abduxerit, qui cauſſae ſe ſatis proſpexiſſe ratus eſt, ſi, licet ſine teſte, ſine auctore, imo contra hiſtoriae fidem affirmaret, Aelfredum iis temporibus, quibus imaginum cultus ubivis terrarum propalam vigebat, ex Chriſti icuncula nihil, praeter, quam in bellando conſtantiam, eſſe praeſtolatum. Quapropter more ſuorum, nulla in ſcribendo cautione uſus, hauſtaeque a majoribus doctrinae ſtudio,

Noſtra ſed impugnat, nos, noſtraque lividus odit.

In eum propemodum uſum, quo ſacrae bullae, quo numiſmata, quo imagines collo appendebantur, etiam particulae Cerei, qui Paſchalibus diebus conſecrabatur[1], incluſae, populoque datae ſunt. Scilicet ad abolendum perditiſſimum morem, tollendamque ſuperſtitioſam conſuetudinem ferendi *προβασκανία*, bullas re turpicula con-

1 *Ordo Romanus pag.* 52. edit. Romae 1591. Confer veteres Rituales libros ſub Alcuini nomine vulgatos *in Sabbato Sanct.* Amalarium *de Eccleſ. Offic. lib.* 1. *cap.* XVII. inter *Patres Liturgicos* Melchioris Hitorpii. Romae 1591.

conſignatas, & obſcaena phylacteria [1], tum ad faſcinationes avertendas, depellendaſque mali Daemonis inſidias. Cujus quidem rei extat Ennodii Ticinenſis, qui ſexto claruit ſaeculo, diſertiſſimum teſtimonium. Is enim in II. *Cerei benedictione* ita praepotentem Deum ſupplex precabatur. *Sumptam ex hoc Cereo contra procellas, vel omnes incurſus fac, Domine, dimicare particulam* [2]. Neque inſolens, aut novum hoc monumentorum genus eſt. Norunt viri antiquitatum Eccleſiaſticarum periti, bullam illam gemmis interſperſam, Agno cereo cuſtodiendo deſtinatam, Romae in tumulo Mariae Auguſtae Stiliconis filiae, & Honorii uxoris repertam [3]: tum vaſculum fictile in Vrbe, quum vetus turris diſiiceretur, inventum, cui inerat cereus orbis, cum litteris *ECCE ....* *quas*, inquit Suareſius Ep. Vaſionenſis, *ſequebantur haud dubio iſtae, AGNVS DEI* [4]. Sed, quae in his cimeliis vel deerat, vel mutila, partimque exeſa legebatur, inſcriptio Oliverianam thecam integra adhuc circumambit, uno comprehenſa verſu: AGNE DEI MISERERE MEI CRIMINA TOLLIS; qua tributa hiſce Lipſanis obſervantia oſtenditur, & quemadmodum ab hoc adſpectabili ſigno Chriſtifideles cogitando ſe

1 Quam late patuerit miſeranda haec ſuperſtitio, docuimus in libro: *Oſſervazioni ſopra alcune ſingolari, e ſtrane medaglie. Napoli* 1748.

2 Inter Oper. Sirmondi *tom.* I. *Opuſcul. Ennodii* XI.

3 V. Sebaſtianum Munſterum *Coſmographia univerſal. lib.* II. edit. Baſileenſ. *T. Flavii Clementis Tumulum illuſtrat.* a P. de Vitry pag. 23. *Romae* 1727.

4 *De Origine conſecrandi Agnos Dei Romae* 1656. Vide Theophilum Raynaudum *Opp. tom.* II. *de attributis Chriſti ſect.* II. *cap.* II. *Lugduni* 1665. Vincentium Bonardum Epiſ. Hieracenſem, *Origine, antichità, e virtù degli Agnus Dei. Roma* 1704.

do ſe ſe conferrent ad implorandam opem unius hominum Mediatoris, qui pro omnium ſalute, incolumitateque, tamquam Agnus, teterrimae ſe tradidit morti. Ex quibus duo plane conſequuntur. Primum quidem eſt, *Agnorum* conſecrandorum uſum inductum fuiſſe priſcis Chriſtianae religionis temporibus, non ea tempeſtate, qua cenſuit Panvinius de Baptiſmate Paſchali ad Alexandrum Cardinalem Farneſium [1]; idcoque, quod eſt alterum, ab Heterodoxis inter nuperos, emendandos, abrogandoſque ritus perperam recenſeri [2]. At quorſum Servatoris noſtri Jeſu VERA ICON, eaque, ut mos eſt, linteolo impreſſa, in poſtica thecae parte graphio inciſa? Non id ego caelatoris arbitrio accidiſſe, ſed veterem quamdam Romanae Eccleſiae conſuetudinem mente revolvens publica potius auctoritate factum reor.

Decipiuntur profecto inani quadam exquiſitae critices ſpecie, qui nuperum, ſeroque invectum putant cultum imaginis illius, quam ab optimis, antiquis, lectiſſimiſque ſcriptoribus *Sudarium*, *Vultum Sanctum*, *Veronicam* appellatam legimus. Nihilque tam falſum, quam quod Tillemontius, Baillettus, Serryus dixere, primum, qui ejus rei meminit, fuiſſe Marianum Scotum, ſaeculi XI. Chronographum [3]. In tantam jam venerat celebritatem imago illa initio ſaeculi VIII., ut Johannes VII. Pontifex dictus an. DCCV. in Oratorio a ſe extru-

1 Adi inſigne opus Benedicti PP. XIV. *De Canonizat. SS. lib.* IV. *parte* II. *cap.* XX. *num.* 12.

2 Veterem, & jam raucam querelam iterum propoſuit Piceninus. V. C. Gotti *Colloquia Theolog. Polemica part.* III. *col.* V. *Bononiae* 1727.

3 Inter Scriptores Germanicos Piſtorii tom. I. Francofurti 1613.

Digitized by Google

ſtructo, & Beatae Dei Genetrici dicato, novo altari poſito, & marmoreo deſuper excitato ciborio, in eo ſacratiſſimum Sudarium condiderit. Quod ſane poſt longiſſimum octo ſaeculorum ſpatium, Jacobo Grimaldo teſte oculato [1], litterati lapides, aliaque monumenta adhuc teſtabantur. Haec autem adeo ſollemnis tranſlatio, haec adeo ſplendida venerationis ſignificatio indicio plane eſt, Veronicam in Romana Eccleſia ante hunc Pontificem ſumma, & praeclara totius gentis devotione fuiſſe cultam. Quid quod, eodem vertente ſaeculo, quum Vrbs diriſſima premeretur obſidione, eique Aiſtulphus Langobardorum Rex contra pacta conventa excidium minitaretur [2], Stephanus PP. III. auxilium a Deo immortali unice expoſcens *in una dierum cum multa humilitate ſollicite procedens in Litania cum ſacratiſſima imagine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quae acheropita* (ἀχειροποίητος, non manufacta) *nuncupatur*, aedem ſanctae Dei genetricis, quae ad Praeſepe dicitur, adiit [3] ? Hanc illam ipſam fuiſſe imaginem, ut Sigonius explicat, *non manu hominis pictam, ſed ab ipſius ore formatam* [4], probe evincit Pontificum, qui Stephanum inſequuti ſunt, religioſa conſuetudo.

 Ac-

1 Confer opus *Della Sacroſanta Baſilica di S. Pietro in Vaticano &c. lib.* I. *cap.* II. §. I. *Roma* 1750. Item *Bullarium Baſilicae Vaticanae to.* I. Adnot. ad litteras Innocentii III., quibus *Statio* ad Hoſpitale S. Spiritus in Saxia inſtituitur, illucque effigiem Jeſu Chriſti per Canonicos B. Vat. eſſe deferendam mandatur. *pag.* 89. *Romae* 1747. Quod rurſus religioſe ſervandum novis litteris confirmarunt Honorius III., Alexander IV., aliique Pontifices. *Bullar. Vat. tom.* I.

2 Anonymi Salernitani *Chronicon cap.* VI. inſertum *Hiſtoriae Principum Langobardor*. Camilli Peregrini, curante Cl. Pratillo *tom.* II. *Neapoli* 1750.

3 Anaſtaſius Bibliothecar. de Vit. Pontif. in Steph. III. n. 233. Edit. Blanchinii tom. I. Romae 1718.

4 *De Regno Italiae lib.* III. *Francofurti* 1591.

Accepimus enim a Matthaeo Pariſio, Innocentium III., *quem vacillantis Eccleſiae cura ſollicitabat, effigiem vultus Domini, quae Veronica dicitur, VT MORIS EST, de Eccleſia verſus Hoſpitale S. Spiritus reverenter cum proceſſione geſtaſſe*[1]. Atqui ſi id Romae *moris erat*, ut, dum miſerabiles caſus, magnaeque calamitates impenderent, in publicis ſupplicationibus ad placandum Deum haec imago geſtaretur, non alia profecto illa ἀχειροποίητος a Stephano delata, quam Vera Icon putari debet. Stephano demortuo, in Pontificatum ſuffectus eſt. Hadrianus I.. Is autem, referente Anaſtaſio, *in Baſilica Sancti Paulli fecit ex laminis argenteis imagines tres. Vnam quidem habentem vultum depictum Domini noſtri Jeſu &c.*[2]. Similiter Leo III. in Hadriani locum omnium, quotquot ſunt Chriſtiani nominis gentium Princeps renunciatus, *renovavit imaginem auream, habentem vultum Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti*[3]. Quarum autem imaginum exemplar ſapientiſſimi Pontifices tanta impenſa, argento, aurove induci, *renovarique* curabant, niſi quae a multo ante tempore populo & veteri religione, & collatis ſibi divinitus beneficiis eſſent ſacerrimae? Percrebuit in dies hic cultus, vehementiſſimoque ardore extra Vrbis ſepta tandem eſt propagatus. Siquidem Pontificum ſcito, voluntateque laminis, ſigniſque aeneis, aut plumbeis, quibus ampliſſimi Vaticani Sacerdotii Collegium peregrinos ſacra limina adeuntes munerabatur, Veronicae effigies[4] procudi

1 *Hiſt. ad an.* 1216. *Londini* 1640.
2 Anaſtaſ. loc. cit. n. 330.
3 Anaſtaſ. *ibi.*
4 De ritu tradendi peregrinis ſigna plumbea conſule *Bullar. Vat. loc. cit.* Grimaldus in deſcriptione Baſi-

Digitized by Google

rudi caepit : quae deinde publicae etiam monetae typo expreſſa fuit [1].

Jam vero, ut ad noſtram thecam, cui illuſtrandae haec praefari neceſſe fuerat, dicendo revertamur, facile mihi in animum induco, fuiſſe Romae fabrefactam his temporibus, quibus veneratio erga Sudarium omnium cordibus defixa maxime enitebat, omniumque ſtudiis longius progreſſa eſt. Nam quum in more poſitum eſſet, ut particulae *Cerei Sacri* Agni figura conſignatae exteris Epiſcopis, viris principibus, peregrinis de Eccleſia benemerentibus, qui ſanctam Vrbem inviſebant, traderentur [2], ideoque metallicae pyxides, capſulaeque illis concludendis componerentur, nihil erat factu proclivius, quam ut in altero illarum orbe ea incideretur imago, quae in auguſtiſſima omnium

 Baſi-

Baſilicae Vaticanae, quae adſervatur in ejuſdem Chartophylacio, narrat, in illius ruderibus lamellam olim fuiſſe repertam, cui vultus Salvatoris erat expreſſus. Memorat & Turrigius *in Cryptis Vaticanis p.* 447. *Romae* 1639. Dubium mihi non eſt, ad fovendam peregrinorum pietatem lamellam fuiſſe procuſam, ea ratione, qua plumbea numiſmata Petri, & Paulli effigie conſignata. Sequor autem hac in re judicium viri Eccleſiaſticarum antiquitatum, praeſertimque Vaticanarum longe, peritiſſimi Joſephi Carampii, de cujus doctrina, humanitateque non ſemel hoc in libro perhonorifica mentio eſt facta. V. ipſius Addenda ad eximium opus *De Num. argenteo Benedicti III. Romae* 1749.

1 Patet ex Tab. VI. n. III. & IV. Floravantii *Antiquiores Denarii Roman. Pontif. Romae* 1734. Florenum aureum, ut ajunt, Camerae Veronicae typo ſignatum habes apud illuſtrem, eruditumque Equitem Victorium, *il Fiorino d' Oro illuſtrato p.* 325. &c. *Firenze* 1738. In quo inſigne hujus rei monimentum, quamvis ſequioris aetatis, proferre libet. Anno 1447. die 20. Auguſti, & rurſus an. 1454. die 13. Februarii inter Apoſtolicae Camerae adminiſtros, & Vrbis Monetarios ita conventum: *Item promiſit dictus Magiſter* (Officinae Monetalis) *cudere, & fabricari facere picciolos* (monetae genus notiſſimum) *ſimiles illis, qui hodie currunt in Vrbe cum ſigno S. Veronicae* &c. Documentum Cl. Carampio acceptum referimus, qui ex Tabulario ſecretiori Pontificio excripſit.

2 Adiſis ſcriptores, quos ſupra commemoravimus.

Digitized by Google

Baſilica tantopere honorabatur. Veteri quippe, piaque conſuetudine invaluiſſe perſpicimus, ut advenis apographa tradantur imaginum, quas unaquaeque urbs ſibi ad defenſionem, ac tutelam coelitus conceſſas arbitratur. Ita in una, eademque ἱεροθήκῃ, duplici pietatis, & religionis argumento apte conſociato, duae Romanae Eccleſiae conſuetudines recolendae proponebantur. Accedebat temporum conſpiratio, ut haec duo facili nexu, & concordi cauſſa copularentur. Namque ſub his diebus, quibus *Agni* conſecrantur, Veronica populo ſpectanda, & proprio imaginum cultu adoranda ex moeniano, vel pulpito oſtendi conſuevit [1]. Haec praeloqui mihi fas fuerat, ut de lipſanothecae antiquitate, deque illius uſu Lectori exinde aeſtimare liceret. Interim vero jucundiſſimum, uberrimumque laboris noſtri, quicumque is ſit, fructum me tuliſſe putabo, ſi quid ſaltem Eccleſiae Catholicae ritibus explicandis, aſſerendiſque inveniſſe videbor.

SIN-

1 *Della Baſilica Vaticana loc. cit.* Lectu digna, quae habet Jacob. Gretſerus in *Syntagmate de Imaginibus non manufactis cap.* XVIII. *Pariſiis* 1625.

MONITVM AD BIBLIOPEGAM

Quatuor tabulae aeri inciſae, quae hoc in opere explicantur, illuſtranturque, ſic libro erunt interſerendae, ac conglutinandae.

Tab. I. ———— *in fronte operis*.
Tab. II. ———— *pagina* 58.
Tab. III. ———— *pagina* 137.
Tab. IV. ———— *pagina* 161.

SINGVLORVM CAPITVM

BREVIARIA.

ΕΙΣΟΔΟΣ

Lotiones ex veterum ſcriptorum Socratis, Anticlidis, Timarchidae doctrina pro expiandis animis primum invectae. Fontes, flumina, mare, Heſiodo, Euripide, Callimacho, Thucydide, Homero, Apollonio teſtibus, illas principio ſuppeditabant. Balnea in eumdem uſum deinde conſtructa. Apuleii, & Gregorii Theologi de ea re conſenſus. BALNEA CHRISTIANORVM quaenam. Neminem hactenus de his dedita opera ſcripſiſſe. Argumenti utilitas, ejuſque cum hiſtoria Eccleſiaſtica convenientia. Pag. 3

CAPVT PRIMVM

Balneorum uſus Chriſtianis quondam minime interdictus. Martyrum Lugdunenſium de ea re epiſtola. Quid ſibi velint SS. PP., quum balnea vituperant. Balnea in Aſiaca, & Africana Eccleſia recepta. Vindicatur Irenaei, Epiphanii, Theodoriti, & Euſebii narratio de Iohanne Evangeliſta balneum ingrediente adverſus Acatholicos ſcriptores. Ad criminis emundationem Graecis, aeque, ac Latinis balnea uſitata ex Chryſoſtomo, Cyrillo, Theophylacto, & Gregorio M. docetur. An ea tantummodo adirent, ut Iſidorus ſcripſit, qui impura Venere ſe ſe contaminarant. 14

CAPVT SECVNDVM

Chriſtiani balnea adibant, ut ad ſacra celebranda ſe compararent. Perverſa de lotionibus Chriſtianorum Moshemii querela. Ante Baptiſmi ſuſceptionem Catechumeni ſordes in balneo ponebant. Auguſtinus qui intelligi debeat. Locus Zenonis Epiſc. de hac re male ſollicitatus explicatur. Inſtantibus ſollemnioribus anni diebus lavatio per plura ſaecula Chriſtianis uſitata. Conciliorum ſanctiones, quibus balnea ἀνδρόγυνα Chriſtianis vetabantur. 21

CAPVT TERTIVM

Lex Theodoſii de balneis, quae ſunt in peribolo Eccleſiarum. Qui illorum uſus. De balneis a Conſtantino M. pro Sacrorum Miniſtris

niſtris juxta aedem SS. Apoſtolorum excitatis. De his, quae Pontifices Maximi Hilarus, Hadrianus I., & Damaſus in eumdem finem aedificari, aut reſtitui curarunt. De balneo prope Paracellarium Lateranenſe a PP. Gregorio IV. renovato.

CAPUT QUARTUM 28

Balnei ad clivum Coelium a Papa Formoſo inſtaurati orthographia nunc primum in lucem profertur. Ciampinii de hujus conclavii uſu conjecturae repudiantur. Num Crux *antis aptata certum ſit Templi indicium Theodoſii lex de fanis, & delubris purgandis. Cur Templa* Tituli *nuncupata. Aedificium pro lotionibus fuiſſe, proximi aquaeductus indicant. Quare in abſidis pictura Formoſi imago deleta. Figuram barbaricam non eſſe Guidonis, nec Arnulphi, ſed veroſimilius Michaelis Bulgarorum Regis. De SS. Laurentii, & Hippolyti imaginibus divinatio. Geſta a Formoſo apud Bulgaros. Ad ea picturam omnem referri oportere.* 32

CAPUT QUINTUM

Balneum in uſum Cleri a S. Victore Ravennae refectum, & opere variegato ornatum. Vetus inſcriptio de balneo a S. Damiano in eumdem finem Ticini fabricato. Locus Johannis Diaconi de balneo a S. Agnello pro miniſtris Diaconiae Neapolitanae exſtructo reſtituitur. Cur ſaponem bis in anno ſuis Clericis dari Agnellus praeceperit, ex illorum temporum ſcriptoribus, Conciliiſque eruitur. Balneum Neapoli a S. Ep. Noſtriano tempore Theodoſii quamobrem excitatum. Xenodochium Athanaſianum Balneaticum *ibidem pro Epiſcopo ſolvebat.* 43

CAPUT SEXTUM

Balneum in ſinu Puteolano, cui nomen Fons Epiſcopi, *viris rei divinae operaturis deſtinatum. Auctor poematii de thermis Puteolanis, Bajaniſque detegitur. Codices Paullinus, Angelicus, & Vaticani expenduntur. Epigramma de Fonte Epiſcopi. De ſignificatione vocis* Parapſis, *qua in eo poeta uſus eſt. Cauſſa, ob quam Antiſtites ſacrorum balneum adibant ab Euſtatio, Elyſio, aliiſque falſo, & calumnioſe excogitata. Nec huic criminationi Ratherium Epiſc. Veronenſ. favere. Quare pro Cleri lavatione antiquae Ethnicorum thermae quandoque delectae.* 49

CA-

CAPVT SEPTIMVM

De duobus Epiſcopis in ſchemate Codicis Paullini depictis, deque eorum veſtibus, & ornamentis obſervationes. Hoſpiniani commentum de antiquitate, & uſu Pallii in divinis Officiis. An hi duo Antiſtites lavantibus bene apprecentur, an vero geſticulentur. Quinam, Mazochio judice, cenſendi ſint. Vexatiſſimus Petri Hypodiaconi Caſinenſis locus de bino Eccleſiae Neapolitanae Praeſule dupliciter explicatus. Num in hac pictura Graecus Epiſcopus occurrat. Dalmatica, quae Graecorum Epp. proprium indumentum fuit, Latinis quandoque data. Graecos more Latinorum benedicere, *ex antiquis monumentis conſtat. Miſena Eccleſia everſa Neapolitanae copulata. Balnei noſtri ſtructuram cum veterum ſcriptorum teſtimoniis plane convenire. Barbiraſium, & corona capillitia Cleri Occidentalis ἐπίσημον.* 58

CAPVT OCTAVVM

De corona capillitia, qua viri in balneo poſiti inſigniuntur, ἀπόβασις. Middletonii de illius origine ab Iſidis Sacerdotibus repetita joculare, & maledicum commentum. Duo ſacrarum litterarum teſtimonia a Theologo Cantabrigienſi perverſe detorta explicantur. Salmaſius locum Optati Milevitani de Presbyteris per injuriam a Donatiſtis deraſis ſubdole, & falſo interpretatur. S. Aniceti ad Gallos epiſtola ſubdititia. Canones veterum Conciliorum, quibus tonſa caeſaries Clericis praeſcribitur, indicantur. Cyprianus in Clerum cooptatus comam praecidit. Id ipſum Julianus ſe Monachum ſimulans. Marcianus poſt comae abſciſcionem Presbyter ordinatus. De Evagrii teſtimonio Salmaſii παρεγχείρησις. Nec diſſimiles Rivii ambages. Varia olim Coronae forma, & quid de ea a Concilio Toletano cautum. De ritu compellandi Epiſcopos per coronam. Felli Epiſcopi Oxonienſis falſa interpretatio rejicitur. Vetera aliquot Monumenta, in quibus Epiſcopi circulo capillitio ornati. Ejuſdem inſignis myſticae cauſſae a Patribus excogitatae carptim proponuntur. Jacobi Martini in aſſignanda, inveniendaque tonſurae origine ἀντιμαχίαι detectae. 65

CA-

CAPUT NONUM

Balneorum uſum apud veteres Monachos, adventantibus feſtis diebus ſollemniori cultura peragendis receptum fuiſse, demonſtratur ex antiquis illorum legibus. Concordia S. Dunſtani, Statuta Lanfranchi, Conſtitutiones Hirſaugienſes, Conſuetudines Cluniacenſes laudantur. S. Etheldredae inſigne exemplum. In Monaſteriis balnea huic religioſae caeremoniae perficiendae conſtructa indidem colligitur. Charta Tarbejenſis, Diſciplina Guidonis, Sanctiones Burſfeldenſes hac de re agentes recenſentur. Balnea in Monaſterio Vivarienſi a M. Caſſiodoro aedificata. Sicelgaitae donatio Caſinenſibus facta pro balneo conſtruendo. Contraria argumenta a Magio V. C. ad hanc conſuetudinem labefactandam propoſita diſcutiuntur. De bicolori Monachorum habitu curſim agitur ad noſtrae picturae explanationem. 81

CAPUT DECIMUM

Divina Myſteria a Chriſtianis quandoque in balneis peracta. Beatiſſimus Papa Pius I. balneum Novati in hunc uſum dedicavit. Juſtinus Martyr in Actis judicialibus coram Q. Junio Ruſtico Chriſtianos in eas thermas convenire teſtatur. Conſtantinopoli fautores Johannis Chryſoſtomi inſidias verentes Paſcha celebrant in balneo. De concilio, quod in thermis Titi a S. Silveſtro celebratum perhibetur. Collatio Carthaginenſis inter Catholicos, & Donatiſtas in balneo habita. Summa Graecorum erga balnea τῆς Ἐκκλησίας religio. Arſenius Patriarcha accuſatus apud Mich. Palaeologum, & a Synodo in exilium pulſus, quod in his Azatinum, & Saracenos lavari permiſiſſet. 90

CAPUT UNDECIMUM

Veteri conſuetudine receptum, ut qui in Militiam Equeſtrem cenſerentur, balneari lavatione ſe primum praepurgarent. An mos a Godefrido Bullionio repeti queat. De Gaufrido Andegavenſi, Guillelmo Batavo, aliiſque nobilibus viris poſt balnei uſum in Equites adſcitis. Richardum II. Angliae Regem, ejuſque ſucceſſorem Henricum IV. hoc ipſo ritu Milites creaſſe. Varia hujus narrationis conſectaria. A balneis abſtinendum diebus

bus eſurialibus , in Paraſceve , omnique poenitentiae tempore , docent Auguſtinus , Nomocanon , & Pacianus Barcinonenſis . Gregorius Papa illorum rejicit judicium , qui in die Dominico lavari non licere dictitabant . Rurſus de hac Graecorum ſententia interrogatus a Bulgaris Nicolaus PP. I. eamdem improbat . Marci Patriarchae Alexandrini quaeſitum de Presbytero , qui balneo eſſet uſus , & Theodori Balſamonis ad illum reſponſa perpenduntur . Quamobrem recens baptizati per hebdomadam a balneo ſibi temperarent , exponitur . Ritus hic , qui 11. *ſaeculo obtinebat , a Dallaeo carpitur fallaci , & captioſa argumentatione , quae tota diſſolvitur , ac refutatur .* 98

CAPVT DVODECIMVM

De Minoribus lotionibus rite , pieque in Eccleſiam invectis . CAPITILAVIVM apud Hiſpanos . Galloſque neutiquam in Romana Eccleſia uſitatum . Iſidori locus explicatus . Neophyti a SS. PP. INFANTES ἀλληγορικῶς *nuncupati . Concilium Moguntiacum nihil expreſſe de abolendo capitilavio ſanxiſſe , nec Haereſim ob illud eſſe enatam . Triplex apud veteres Chriſtianos Podonipſia . De ritu lavandi pedes peregrinorum vetuſtiſſima exempla . De Pedilavio in Baptiſmi collatione ; & num Canon Illiberitanus illud penitus vetuerit , an vero a Clericis peragi mandarit . Vetus Eccleſia Gallicana Podoniptron poſt Baptiſmum addebat . Quare Serapion Sindonites Mimorum , quos baptizavit , pedes laverit . Num Chriſtus pedilavium peregerit ex Judaeorum inſtituto , nec ne . Scaligeri , Caſauboni , Buxtorfii diſſenſus . Concilii Toletani de lotione pedum retinenda edictum . De haereſi PODONIPTARVM breviſſima* ὑπόμνησις . *Lotionem pedum perperam ab illis , ut notam Eccleſiae , aeternaeque ſaluti adipiſcendae neceſſariam , defendi probatur .* 111

CAPVT DECIMVMTERTIVM

Χέρνιψ *ante rem ſacram nationibus omnibus communis . Praeceptum lavandi manus Sacerdotibus Judaeorum datum rectiſſime a Witſio explicatum . De varia* Maris aenei *ſignificatione . Lotionem hanc temporibus Apoſtolicis uſitatam injuria negat Johannes Nicolai , qui refellitur . Dulpex* χέρνι-

βος

βος cauſſa affertur. Manuum lotio Laicis ante Eucharistiae perceptionem imperata, quum in manus ea traderetur. A Concilio Turonenſi mos ſublatus. Petri Avitabilis de errore Colchidenſium epiſtola vindicatur. Eadem ablutio ad criminis ſuſpicionem amovendam adhibita. Caſauboni, & Merillii opinio refutata. De judicio aquae ad purgationem criminum ſcitu praeſtantiora memorantur. Originem ab aqua τῆς ζηλοτυπίας veroſimilius petendam eſſe demonſtratur. 122

CAPUT DECIMUMQUARTUM

Varia de conchis, labris, vaſis in pronao, aut narthece ſacrarum aedium antiquitus poſitis proferuntur monimenta. Memorandus s. Juſtini locus. Inſigne Eccleſiae Piſaurenſis nymphaeum nunc primum e tenebris excitatum. Quid ſibi velit MANUS in eo exſculpta. Mutilae inſeriptionis nymphaeo additae Cl. Corſini ingenioſa, & vera interpretatio. Anaglyphum ſacrum Foro-Cornelienſe illuſtratur. 132

CAPUT DECIMUMQUINTUM

Num ſeptem Eccleſiaſticae Hierarchiae officia in concha Piſaurenſi expreſſa. Hypodiaconus in vetuſtis monumentis inter minores adminiſtros depictus. Caeremoniae Catechumenatus veroſimilius huic urnae inſculptae. Exorciſmum a Clericis ubique peractum, tradit Coeleſtinus PP. Exorcizandis calceamenta, veſteſque detractas, ex libello Cleri Apameenſis evincitur. Lineae veſtis Acolythorum meminerunt antiqua Concilia. De habitu Sacerdotali palmaris, & inſiceta Heineccii impoſtura confutatur. COMPETENTES ante Baptiſmum Cruce in pectore inſigniti. Caetera nymphaei emblemata, ex ſacris litteris ducta, quid portendant. 143

CAPUT DECIMUMSEXTUM

De Fontibus, puteis, phialis marmoreis apud Graecos in templorum propylaeo ad luſtrationem poſitis ſermo inſtituitur. Duplex Eccleſiae Graecanicae ἁγιασμὸς. Aquae in Theophaniis conſecratae uſus, prodigiaque a Chryſoſtomo narrata. Vice Dominici corporis aqua benedicta aliquando data ex Joh. Jejunatoris Poenitentiali. Menſtrua aquae benedictio penes eoſdem Graecos. Qui illam in foribus templi ſervabant. Urnae litteratae

ratae ex Graecia advectae, nondumque antehac aeditae ſchema proponitur. De pelvi Byzantina, & Meſſanenſi huic uſui quondam addictis. Catinus Monaſterii τῶν πατέρων, ejuſdemque inſcriptio. De antiquo Cratere Syracuſano popularis opinio rejecta. 155

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM

Sublatis balneis, aliiſque lotionibus, una ſuperſtes in Eccleſia Catholica luſtratio Aquae Benedictae. *Valdenſium, Lollardorum, & Wicleſiſtarum errores. Argumenta, quae adverſus hujus aquae uſum, & efficientiam Baſnagius operoſe collegit, ſingillatim diruuntur. Antilogia hac in re a Calvino perperam Catholicis imputata. Sal aquae conſecratae admixtus ex veteri Eccleſiae inſtituto. Qua ratione ab antiquis, probatiſque Theologis dicatur, leviora crimina hac aqua aboleri. Id genus Sacramentalia Eccleſiam ſemper habuiſſe. Divinam, expreſſamque Chriſti promiſſionem ad id haud fuiſſe neceſſariam, contra Chemnitium oſtenditur. Quam prudenter, recteque cautum, ne a quovis aqua conſecraretur. Abſurda conſectaria, niſi certi conſtituantur Sacrorum miniſtri. Baſnagius in producendis hiſtoriae Eccleſiaſticae monumentis ſibi minime conſtans. Luſtralem aquam a priſcis Chriſtianis reſervari conſueviſſe probatur. Duplex in Latina etiam Eccleſia aquae conſecratio ex antiqua traditione retenta demonſtratur.* 168

CAPVT DECIMVMOCTAVVM

Balnea olim a Chriſtianis religionis cauſſa ſuſcepta, & aquam luſtralem, etſi Ethnicis uſitatam, a quavis ſuperſtitione abeſſe evincitur. Inepta Novatorum expoſtulatio ab Auguſtino dudum exploſa. Profana monumenta nihil Hoſpiniano, Muſſardo, Kromayero, Middletonio, ſociiſque hac in re ſuffragantur; quorum ratiocinatio perabſurda probatur. Gregorius M. ab auctoris novae Bibliothecae conviciis vindicatur. Sanctiones illius pro converſione Anglorum cum geſtis a Patribus Concilii Epaunenſis conſentire. Ethnicorum inſtituta in Chriſtianos uſus rectiſſime tranſlata. Turretini inſcitia, & ϲυκοφαντία. Prima luſtrationum origo ab Hebraeis

braeis petenda; ſed non ideo Chriſtianis inviſas illas eſſe debere. *Holdſwortius, Prideauxius, Maſtrichius, Pfaffius, Buddeus confutantur. Limborchii doctrina de rebus ritualibus plane diſcordans a ſuorum* Remonſtrantium Confeſſione, *ab Epiſcopio vulgata. Locus Juſtini Martyris in contrarium ſenſum ab Haereticis maligne detortus. Tertullianus ab iiſdem perverſe mutilatus. Argumentatio ex teſtimonio Optati Milevitani a Baſnagio inſtructa, & ab ipſo ἀδιάλυτος dicta diſſolvitur. Operis epilogus.* 186

CENSORVM JVDICIA.

QUum de *Sacris Chriſtianorum Balneis* egregie diſſerit V. Cl. Paullus Maria Paciaudus in præſtantiſſima, quam typis dat, Lucubratione, ſummam Cl. Viri eruditionem, atque rerum Sacrarum peritiam redolent, Reipublicæ Literariæ tot editis libris jampridem notam. Quapropter cum Rmi S. A. Palatii Magiſtri juſſu eandem animo imprimis attento legerim, nihil in ipſa me invenire profiteor, quod ſanctiſſimis Catholicæ Eccleſiæ Dogmatibus, ac Chriſtianæ morum diſciplinæ adverſetur. Quin immo utiliſſimum cenſeo, ac prælo dignum; maximumque Cl. Auctori laudem parituram confido & argumenti novitate, & egregia Acatholicorum quorundam confutatione, qui in vetuſtiſſimos Romanæ Eccleſiæ ritus ineptiis, ac ſcommatibus e trivio arreptis debacchantur, ac popularibus ſuis hæreſeos lue infectis fucum faciunt. Ita cenſeo

Romæ Idibus Novembris MDCCLVIII.

Conſtantinus Ruggerius Bibliothecæ Imperiali Præfectus

JUſſu Reverendiſſ. P. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri diligenter legi Librum *de Sacris Chriſtianorum Balneis* a Cl. V. Paullo Maria Paciaudio conſcriptum; in eoque non modo nihil deprehendi, quod Catholicæ Religioni, Chriſtianisque moribus adverſetur, verum præclaram eruditionem cum acerrimo judicio, ſingularique ſermonis elegantia conjunctam ſum ubique vehementer admiratus. Quum itaque hujuſmodi Commentatio & rei Antiquariæ, & vetuſtiſſimis Eccleſiæ Ritibus ſit plurimum lucis allatura, e Rep. Literaria eſſe cenſeo, ſi in manus hominum quam citiſſime pervenerit.

Romæ ex Ædibus Collegii Nobilium Bergomatum Idibus Nob. MDCCLVIII.

Petrus Antonius Seraſſius S. Th. Doctor, & Collegii Ceraſoli Rector.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATVR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſs. Patr. Mag. Sac. Pal. Ap. Soc. Ord. Præd.

Digitized by Google

DE SACRIS

CHRISTIANORVM BALNEIS

LIBER SINGVLARIS

AD

JOSEPHVM CARDINALEM

SPINELLVM

EPISCOPVM PRAENESTINVM.

DE SACRIS
CHRISTIANORVM BALNEIS
LIBER SINGVLARIS.

ΕΙΣΟΔΟΣ.

Lotiones ex veterum ſcriptorum Socratis, Anticlidis, Timarchidae doctrina pro expiandis animis primum invectae. Fontes, flumina, mare, Heſiodo, Euripide, Callimacho, Thucydide, Homero, Apollonio teſtibus, illas principio ſuppeditabant. Balnea in eumdem uſum deinde conſtructa. Apuleii, & Gregorii Theologi de ea re conſenſus. BALNEA CHRISTIANORVM *quaenam. Neminem hactenus de his dedita opera ſcripſiſſe. Argumenti utilitas, ejuſque cum hiſtoria Eccleſiaſtica convenientia.*

INTER praecipua humanitatis inſtituta, SPINELLE CARDINALIS AMPLISSIME, quae antiquiſſimi Orientis incolae, ceu ritus ſumma voluntatum conſenſione inductos retinuerunt, impenſeque adamarunt, BALNEA eſſe recenſenda, nemo unus inficiabitur, qui res per ea tempora geſtas cognoverit, earumque enarratores Homerum, & Heſiodum lectitarit. Sed num Phaeaces, vel Laconii, num Siculi [1], vel, quod aliis perplacuit, Sybaritae [2], an potius qui in Graeciam ex Aegypto, Phoeniciaque immigrarant ho-

 mines

1 V. Gabrielem Caſtellum Patricium Panormitanum in libro: *Storia di Aleſa antica città di Sicilia cap.* VII. *Palermo* 1753.

2 Joachim Künius *de Lotionibus, & balneis Graecor.* §. 8. *in collect. Differt. Schlaegeri tom.* II. *Helmſtadii* 1743.

mines, in balneis, thermiſque excogitandis primas tulerint, ceteriſque populis antejerint, id, me quidem judice, non ſatis exploratum, perſpectumque eſt. Vnum pro certo affirmare me poſſe exiſtimo, iiſdemque perſuadere teſtimoniis, quae aliud molientes acciverunt Lomejerus [1], Saubertus [2], Voigtius [3], Schurfleiſchius [4], Potterus [5], Feithius [6], Lakemacherus [7], Bruningſius [8], nempe ejuſmodi lavationum ſtudium ab ſui exordio religionis, pietatiſque cauſſa fuiſſe invectum. Illa quippe ex Socratis doctrina invaluerat opinio: *λουτρὰ καθαρὸν παρέχειν τὸν ἄνθρωπον καὶ κατὰ σῶμα, καὶ κατὰ τὴν ψυχήν*, *lotiones purum hominem praeſtare tum ſecundum corpus, tum ſecundum animam* [9]. Quapropter, ut ab Anticlide accepimus, qui ſe flagitio, culpave contaminarant, purgationem inde auſpicabantur. *Ἔθος γὰρ τοῖς παλαιοῖς ὅπερ καὶ νῦν ἀκμάζει, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπων, ἢ καὶ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀενάῳ τὰς χεῖρας ἀπονίπτειν εἰς τοῦ μιάσματος κάθαρσιν*, *mos erat apud antiquos, qui nunc etiam viget, ut qui caedem hominum, vel alias interneciones patraſſent, perenni aqua manus abluerent ad commiſſi piaculi expiationem* [10]. Cui quidem rei quum tanta virtus, & efficientia tribueretur, erat haec conſtans, uſitata, & ſine ulla dubitatione inviolanda ſacrificiorum apparatio: quod enim de impuro fani miniſtro veterrimus ſcriptor Timarchidas dixerat, per ora hominum traducebatur [11].

Χερσὶν

1 *De Luſtrationibus Veter. Gentil. c.* XVI. *Vltrajecti* 1681.

2 *De Sacrificiis cap.* XI. ex recens. Crenii *Lugd. Batav.* 1699.

3 *In Thyſiaſteriologia, ſive de Altaribus cap.* XVII. *Hamburg*, curante Fabricio 1709.

4 *Antiqu. Eccleſiaſt.* §. XXIV. *Lipſ.* 1733.

5 *Archaeologia lib.* II. *cap.* IV. *Lugduni Batav.* 1702.

6 *Antiquitates Homericae lib.* I. *cap.* VI. *de luſtration. Argentorati* 1743.

7 *Antiquit. Graecor. Sacrae l.* III. *c.* II. *Helmſtadii* 1734.

8 *Antiquit. Graec. Compend. cap.* XXIII. *Francofurti* 1745.

9 Apud Platonem *in Cratylo pag.* 55. *edit. Baſileen.*

10 *L.* XXXIV. *Redituum*, apud Natal. Com. *Mytholog. lib.* I. *cap.* X. *Patavii* 1616.

Id ipſum Pythagoram docuiſſe ex Laertio *edit. Ameſtelod.* 1692. in vita illius apparet. Huc etiam ſpectant Lactantii verba *lib.* V. *cap.* XIX. *Flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi autem laverint; tamquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant*. *Edit.* Le Brun., & Lenglet. *Pariſiis* 1748. Plura habes in hanc rem collecta ex vetuſtiſſimis poëtis apud Cl. Spanhemium. *Les Ceſars de Julien &c. Preuves des Remarques pag.* 133. *& ſequent. a Ameſterdam* 1728.

11 *Libro de Coronis*. V. Schedium *de Diis Germanis cap.* XXVII. *Ameſtelod.* 1648.

Philippus Cameratius *Hor. Subſeciv. l.* II. *Francofurti* 1615. narrat, ſe vidiſſe Neapoli marmoreum toreuma Sacrificulum referens, qui dam ſuperis litare parat, ſordes ablui ex vaſe, quo puella aquam in manus fundit.

Χερσὶν ἀνίπτοισιν ῥέζων Διὸς ἥψατο βωμοῦ,
Τυνεχάμυν πυρόεντι πατὴρ κατέφλεξε κεραυνῷ,
Ἔξοχα γὰρ καθαρὸν καὶ θνητὸν θεῖα σέβεσθαι.

Illotis manibus libans Jovi attigit aram,
Propterea hunc flagranti Pater uſſit fulmine,
Oportet enim mortalem purum ſacra contingere.

In quo tamen, natura veluti magiſtra, ac duce, non aquas aliunde invectas, ſed in fluviorum alveis decurrentes, vel ſponte ſua e fontibus proſilientes ad animi munditiem puritatemque adipiſcendam Romani, juxta ac Graeci rebantur eſſe adhibendas. Id autem duplici ex cauſſa eveniſſe potuit; aut quia fluminum, fontiumque aquis, quemadmodum ab Heſiodo, aliiſque, quos memorat Spencerus [1], animadverſum eſt, majorem quamdam vim, atque praeſtantiam ineſſe arbitrarentur, aut quia, ut ab Euripide, & Callimacho [2] edocemur, quodam divinitatis inſtinctu eaſdem agitari, permoveri, afficique exiſtimarent [3]. Quare Athenienſes licet in urbe illa ditiſſima, ampliſſimaque BALINEA permulta exſtruxiſſent, attamen pro ſacra luſtratione fontem Calliroë, teſte Thucydide [4], aptiorem aquam ſuppeditare duxerunt. Romani vero, etſi aquas *Virginem*, *Mar-*

1 *De Legibus Hebraeor. lib.* III. *Diſſert.* III. *Cantabrigiae* 1685.

2 V. Spanhemium in Callimachum. *Not. in Hymn. Neptuni. Vltrajecti* 1697.

3 Hinc aenea, marmoreaque fluminum ſigna, divinis honoribus colenda palam propoſita. (*Seneca ep.* XLI. *Lugdun. Bat.* 1640.) Hinc ſolemnia vota illis reddita. (*Varro de L. L. lib.* IV. *Lipſiae* 1735.) Hinc fluminum nomina in Augurum precationibus contenta. (*Cicer de N. D.* III. *Oliveti* 1740.) Adde inſcriptiones, ut apud Gruterum pag. XCIV. FONTI. DIVINO. ORNIB.. NVMINIS. FONTIS *&c.* Sed nedum Ethnicos antiquiſſimos, ſed qui illos poſt longam aetatem conſequuti ſunt, Haereticos *Sampſaeos*, atque *Ebionitas* animo ſic deſipuiſſe, ut aquam pro numine venerarentur, ſcriptum eſt ab Epiphanio lib. II. Haereſ. 2. & III. edit. Pariſ. 1712. & a Johanne Damaſceno in libro *Haereſewv. V. Ebionei Pariſiis* 1712. quin & Perſas commemorem, quos ſimili in errorem verſatos tradit Arnobius *Contra Gentes lib.* VI. *Romae* 1542.

4 Καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρό τε γαμικῶν, καὶ ΕΣ ΑΛΛΑ ΤΩΝ ΙΕΡΩΝ νομίζεται τῷ ὕδατι: *Et nunc etiam more antiquo receptum eſt, ut ante nuptias, & in* ALIIS ARAE SACRIS *hac aqua* (Calliroe) *utantur. De Bel. Pelopon. lib.* II. *cap.* XV. *Oxoniae* 1699.

Martiamque [1] thermis collectas haberent, nihilominus ad rem divinam faciendam defluentibus Tyberis undis ſe ſe lavando praeparabant, ac praecolebant [2]. Marinae etiam aquae adſperſione ſorditatum animum emaculari, Ethnicos quondam cenſuiſſe, indicio ſunt Diomedis, Thelemachi, [3] Vlyſſis,

1 Vtramque copulavit Martialis *de Etruſcis thermis lib.* vI. *Epigr.* xxvtii. *Amſtelod.* 1701. *Virgine, Martiaque mergi &c.* Virginem quidem, docente Plinio H. N. *lib.* xxxt. *cap.* c1I. *edit. Hard.* Agrippa adduxit in Vrbem ab octavi Lapidis diverticulo II. M. Paſſ. Praeneſtina via. Martiam vero primum ab Anco Marcio, qui illi nomen fecit, deinde a Q. Marcio in Praetura Romam per aquae ductus ſubvectam, idem Agrippa reſtituit; atque haec via Valeria excepta per portam Eſquilinam ad thermas Diocletiani eſt deducta. Confer Strabonem *lib.* v. *Amſtel.* 1707. Tacitum *lib.* xIv. *Vltrajecti.* 1721. Plinium *lib.* xxxI. *cap.* 3. *& lib.* xxxvI. *c.* 3. Eodem alludit nummus, qui inter Familiae Marciae denarios recenſeri ſolet, in cujus antica parte viſitur Anci Marcii Regis caput ſtrophio redimitum, in poſtica Statua equeſtris (fortaſſe Marcii Tremuli, cui ob inſignes victorias de Samnitis relatas ante aedem Caſtorum haec poſita fuerat) aquae ductui inſiſtens cum inſcriptione, arcubus concluſa, AQVA MAR.

2 Perſius *Satyr.* II. *verſ.* 15. Viſendus Iſaacus Caſaubonus ad hunc locum. Juvenal. & Perſ. edit. Merici Caſauboni. *Lugd. Batav.* 1695. Mos veroſimiliter a Judaeis manavit, qui, auctoribus Conrado Ikenio, & Theodoro Daſſovio in *Antiquitatibus Hebraicis*, quamvis in privatis aedibus *piſcinas* ſibi conſtituiſſent, & *Thermas Tiberiadis* praeſto haberent, Deum precaturi ſolam aquam a Siloë hauſtam immunditiem detergere opinabantur. (*Antiquit. Hebraic. Part.* I. *de Stat. Eccleſ. cap.* xvIII. *de Luſtrat. Bremae* 1735.) Hinc fortaſſe Rabbinica illa ſuperſtitio, de qua Bartolocius: *Balneorum aquae volunt Rabbini, ut non ſint hauſtae ex puteis, vel aquis ſtagnantibus, ſed ex fluminibus, vel fontibus per canales in balnea deriventur* (*Biblioth. Rabb. tom.* III. *Romae* 1683.) An id de balneis, quae Sacris Luſtrationibus inſerviebant, an de omnibus, haud ſcio. Certe gens Judaica *Proſeuchas*, ſeu Oratoria ad flumina plerumque habebat, nec certe niſi luſtrationis cauſſa. Facit locus Act. Apoſtolicorum xvI. τῇ τε ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως ΠΑΡΑ ΠΟΤΑΜΟΝ, οὗ ἐνομίζετο ΠΡΟΣΕΥΧΗ εἶναι. *Die autem Sabbatorum egreſſi ſumus extra Civitatem* IVXTA FLVMEN, *ubi* videbatur ORATIO eſſe. (*Nov. Teſt. Graec.* Millii ex recenſione Kuſteri *Amſtelod.* 1710.)

3 *Odyſſ.* B, & Θ. edit. Barnes *Cantabrigiae* 1711. Moſchus *Idyll.* II. ed. Heinſii *Heidelbergae* 1604. Quod ſi ad manus non adeſſet aqua marina, loco illius aqua ſale permixta Graecos eſſe uſos, tum ex Theocrito *in parvo Hercule Idyll.* xxIv. (cum Moſchi Carminib.), tum ex Menandro apud Clementem Alexandrinum *Stromat.* vII. (*Oxonii* curante Pottero 1715.) non obſcure evincitur. Romani, ad quos omnis transfretarat ſuperſtitio, fluviali, fontali, ac puteana in luſtrationibus erant contenti. Ceterum quum loci opportunitas id ferebat, ex propinquo mari aquam in thermas adducebant. Vetus epigramma ad Veſevi radices, ubi olim Herculaneum, ante paucos annos effoſſum, inque ſuburbano Auguſtali, vulgo *Portici* adſervatum lubens appono.

THERMAE
M. CRASSI FRVGI
AQVA . MARINA . ET . BALN
AQVA . DVLCI . IANVARIVS . L.

SI

Vlyſſis, atque Argonautarum [1] exempla. Sed tandem Balnea invaluerunt, & aquis eo corrivatis, ſi myſtam renunciari, ſi ſacra peragi eſſet opus, veteres largius uti coeperunt. Duas tantum ex pluribus, in quas paſſim incidimus, ſcriptorum ſententias placet nunc referre. Apulejus, dum Iſidis ſacris initiaretur, de ſe habet. *Jamque tempore, ut ajebat Sacerdos, id poſtulante, ſtipatum me religioſa coborte deducit ad proximas BALNEAS, & prius ſueto lavacro traditum, praefatus veniam, puriſſime circumrorans abluit* [2]. Apulejo Gregorium cognomento Theologum adnecto, qui in laudatione Baſilii memoriae prodit, Athenis adoleſcentes, quos parandarum ſacrarum litterarum amor inceſſerat, ad balnea cum pompa deduci ſolitos, in balneo primis erudiri myſteriis, ex balneo remeantes in ſapientum numerum cooptari. Poſtquam vero in profanos, ſacroſque uſus balnea conſtituta ſunt, nulla fere urbs exſtitit moribus polita, laudiſque cupida, quae magnificas id genus conſtructiones ingenti ſumptu excitandas non curarit, in quibus aliquando dato pretio [3], aliquando gratuita lavatione [4] unicuique ſe abluere, ac perpurgare liceret.

Si quam habet auctoritatem ad fidem faciendam libellus hiſtoricus de LXX. Sacrae Script. interpretibus, qui etiamnum a pluribus viris doctis poſt Waltonum non Helleniſtae cuidam Judaeo, ſed Ariſteae tribuitur (V. doctum Theologum Liberatum Faſſonium Schol. Piar. *de Graeca Sacrar. Litterar. editione a LXX. cognominata interpretib. Romae* 1758.) hanc ipſam conſuetudinem apud Haebreos viguiſſe dicendum eſt; perhibet enim Ariſteas ſapientes illos, qui in inſulam Pharum juſſu, auſpicioque Ptolemaei Philadelphi ſed eſſerant, antequam verſioni contandae ſe ſe applicarent, divini numinis opem imploraturos, manus aqua marina lavaſſe: ὡς δὴ ἔθος ἐστὶ πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις, *ſicuti mos eſt Judaeorum*. Similiter Coſroem Perſarum Regem Soli Sacra facturum eadem lotione ſe praeparaſſe, legitur apud Procopium *de Bello Perſico lib.* II. *Pariſiis* 1662.

1 Apollonius Rhodius *Argonauticon*. *l*. IV. *v*. 670. ex recenſ. Hoelzlini *Lugd. Bat*. 1641.

2 *Metam*. XI. edit. Vulcanii *Pariſiis* 1601.

3 *Quadrante lavari* dicitur a Juvenali *Satyr*. VI. & Horatio *Satyr*. I. Bentleii *Hagae-Comitum* 1721.

4 Lavationem ſua pecunia advenis, convaniſque gratuitam plures inſtituerunt, vel teſtamento legarunt, inter quos Antoninus Pius. De collato in Bononienſes hujus generis beneficio a Tito Aviaſio, legeſis Malvaſiam *Marmora Felſinea Sect*. III. *cap*. VI. *Bonon*. 16 . Lavationem Populo Praeneſtino gratis per triennium dari supremis tabulis juſſit L. Vevinius Philomuſus (Suareſius *mantiſſa ad libros Praeneſt. Antiq. Rom*. 1655.) itemque in Gabinis C. Arruncejus gratuitam in perpetuum dedit Colonis, incolis, Hoſpitibus, adventoribus, ſerviſque eorum. Adi Hiſtoriam Praenaſtinam nuper ab eximio Epiſcopo Leonardo Cecconio conſcriptam *lib*. I. *cap*. V. *p*. 79. *Aſculi* 1756.

ret. Suas habuere balneas Gallia, Hiſpania, Pannonia, Dacia, Alſatia, Britannia, Helvetia: habuere ſuas Graeciae urbes ferme ſingulae. At quemadmodum nominis claritate, rerumque omnium laudatiſſimarum praeſtantia, ſic etiam hujuſmodi operum magnificentia longe, multumque gentes ceteras anteceſſit Italia.

Verum in toto hoc genere nihil eſt, quod tantam mihi injiciat admirationem ſui, nihilque, quantum ego exiſtimo, quod diligentius obſervari, animadvertique poſtulet, quam balnea vel templis contigua, vel coenobiorum ſeptis concluſa a Chriſtianis Pontificibus, piiſque Aſcetis excitata; quippe quae ſingularem majorum noſtrorum religionem portendunt, & antiquam Eccleſiae diſciplinam inſigniter patefaciunt. Quae ego ſive loci conditionem contempler, in quo fuerunt aedificata, ſive viros, quorum impenſa, curaque ſunt conſtructa, ſive uſus, in quos illa plerumque dedicabantur, SACRA CHRISTIANORVM BALNEA video eſſe appellanda. Porro etſi multos percenſere poſſim, quorum libris univerſa balneorum, laconicorum, thermarumque deſcriptio accurate, copioſeque expreſſa eſt; nemo tamen ad haec Chriſtiana aedificia, ad haec memoranda priſcorum rituum monumenta plane animum adjecit, eorumque uſus ſcribendo explanavit. Quis quaeſo in balneorum partibus, & differentiis exponendis Baccio [1], Caſalio [2], Formanno [3], Duchoulio [4], Struvio [5], Ferrario [6], Gorio [7], Mannio [8], Schoephlino [9] diligentior? in illorum proprietatibus perveſtigandis acutior? in ornamentis,

1 Andreas Baccius Medicus Elpidianus anno 1571. ſeptem libros de Thermis & balneis. Venetiis vulgavit. Opus pluries recenſum, praeſertimque an. 1712. addito libro octavo.

2 Illius collectanea *de Baln. & thermveter.* habes *tom.* 12. Theſauri Gronoviani.

3 *Exercitationes de Balneis*. *Coburgi* 1659.

4 Inter opera *edit. Amſtelod.* 1748.

5 *De Balneis, ac balneatoribus Jen.* 1704.

6 *Diſſert. de Balneis* in Collectaneis Claviſi. & optimi Viri Angeli Calogera *tom.* v.

7 *In Piſanum Laconicum, ſeu Sudatorium obſervationes*. Extat in 111. *volum. Inſcript. Etruriae*. *Florentiae* 1743.

8 *Delle antiche Terme di Firenze* 1751. Plura ex prima hujus noſtrae opellae editione Mannius exſcripſit, nomenque noſtrum immeritis omnino laudibus ubique proſequitur: quod ideo libuit commemorare, ut aliquo ſaltem officio gratum animum humaniſſimo ſcriptori teſtaremur.

9 *Alſatia, illuſtrata Periodus Romana cap.* xv. *Colmariae* 1751.

mentis, ceteriſque adjunctis illuſtrandis diſertior? Sed omnis eorum oratio in eo conſumitur, ut receptae olim apud Ethnicos conſuetudines, fuſaeque per gentes ſuperſtitioſae lavationes ſingillatim explicentur, unoque ſub aſpectu ponantur.

Ego vero quemadmodum, quibuſque temporibus divina Religio luſtrationibus, balneiſque uſa ſit, dicere aggredior: ac certe majus aliquid, excelſiuſque haec mea complectitur tractatio, qua integram adhuc Eccleſiaſticae hiſtoriae partem ſuſcipio exponendam. Quanta autem argumenti dignitas, ac amplitudo mihi de hiſce balneis ſcribere inſtituenti ſe oſtendit, atque occurrit! Non enim, haec, cumulate tradi, diſputarique poſſunt, quin primaevae Eccleſiae, aut quae ab illa ad inſequentem annorum poſteritatem fluxere, leges, ſtudia, conſuetudines diligentiſſime explorentur. Quae quum perſequar, undenam dicendorum fides, ac probatio erit repetenda, niſi ex antiquiſſimis venerabilium ſcriptorum litteris, ac monimentis? Hic mihi ponderoſa SS. Patrum de Chriſtianorum lotionibus judicia, reſponſa, conſultaque neceſſario enodanda: hic geſta a Romanis Pontificibus, aliarumque regionum eximiis Epiſcopis ad hujuſmodi caeremonias, religioneſque publicas tuendas, in apertum proferenda: hic pervetus diſciplina, quam hac ſuper re Monachi reverentiſſime coluerunt, allatis teſtimoniis expolienda. Verbo dicam, Chriſtianarum ablutionum ritus optimo conſilio inſtitutos, magnique ſemper a majoribus habitos mihi in animo eſt uberrime explicare, eorumque originem, obſervantiam, culturam, quaeſitis undique ſacrae vetuſtatis reliquiis, conſtabilire, & ad extremum ab univerſis expoſtulationibus, quae ad illos labefactandos ſubtilius ſunt excogitatae, apertiſſime vindicare. Fieri autem vix poſſe putaverim, ut qui aut ſapientiae, veritatis, traditaeque a Patribus doctrinae amore, aut incorruptae Religionis ſtudio, aut tandem illuſtrium rerum cognoſcendarum cupiditate ducuntur, ad haec perlegenda ſe conferant, quin liberaliſſimam exinde capiant voluptatem, meque pro legitimo, caſtoque Dei cultu, pro aris, pro

templis, pro ſacrorum caeremoniis certare deprehendant; id enim nobis omnino propoſitum nunc eſt, quod olim Epiphanio in expoſitione doctrinae Catholicae. Περὶ θεσμῶν δὲ τῆς Ἐκκλησίας ἐν ὀλίγῳ μέν μοί ἐστι πάλιν ἀνάγκη τοῦ παράθεσθαι, τῶν αὐτῆς θεσμῶν ἀπὸ μέρους τὸ εἶδος, ὅσαπερ φύσει πεφύλακται ἐν αὐτῇ, καὶ φυλάσσεται, τὰ μὲν ἐκ προστάγματος, τὰ δὲ κατὰ ἀποδοχὴν προαιρέσεως, τοῦ Θεοῦ χαίροντος ἐπὶ τῇ ἀρετῇ τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας. *De inſtitutis, & ritibus Eccleſiae pauca mihi neceſſe eſt perſequi, deque eorumdem forma aliqua ex parte dicere; ea nimirum explanare, quae in ipſa Eccleſia olim ſervata ſunt, hodieque ſervantur, partim ex praeſcripto, partim ex animi inductione, Deo ex diſciplinae ſuae virtute fructum quemdam, laetitiamque percipiente* [1].

Haec autem ad Te, PRINCEPS EMINENTISSIME, perſcribere minime ſubveritus ſum, non eo tantum propoſito, ut praeſtantiſſimae beneficentiae in me tuae commemoratione obſervantiam, cultumque meum propalam teſtarer, ſed ut acerrimo tuo, hoc, quidquid eſt operis, penitus permitterem judicio. Quid enim tam conſtans, tamque eruditorum conſenſione comprobatum, quam Te admirabili quadam mentis acie praeditum, quaeſitaeque doctrinae copia excultum de quavis re litteraria, ubi ſe det occaſio, ſcite decernere, tutoque pronunciare? Laudent alii inclytam tui generis ſtirpem, tituloſque inſignes avorum; alii legationes Romani Pontificis nomine, quas temporibus quidem difficillimis, & aſperis in Belgio potiſſimum, quum arduis, implicatiſque controverſiis univerſa illa regio deferveret, immortali omnino cum tua laude obiiſti; vel ſacras aedes miris ſignorum, marmorum, picturarum, variaeque ſupellectilis operibus tua impenſa exornatas; vel flagrans divini honoris tuendi, ſanctioriſque diſciplinae propagandae ſtudium, nullis umquam difficultatibus fractum, nullis periculis, aut incommodis delaſſatum, quo adeo promeritus es de Chriſtianae Reipublicae ſalute. Mihi nunc ante oculos obverſantur indita tibi felici naturae ſatu tanta vis ingenii,

1 *Adv. Haereſ. lib.* III. *tom.* II. *expoſit. num.* XXI.

nii , qua in dijudicando polles , & parta vigiliis , meditatione , jugique labore divinarum imprimis litterarum ſcientia , qua adeo praeſtas . Ex qua ſane effectum eſt , ut de optimis ſtudiis juvandis , provehendiſque impenſe ſemper cogites , eorumque cultores ſumma liberalitate complectaris.

Vivit ad tui nominis immortalitatem , vivetque , quamdiu religioni , virtuti , boniſque artibus honos manebit , fama Lycei , quod ſingulari providentia , ac coeleſti prope conſilio conſtituiſti in Neapolitano Epiſcopio , ſtrenuiſſimis conductis doctoribus , annua ſtipe aſſignata , latiſque ad perpetuitatem legibus . Quod ego Gymnaſium quum olim intuebar , ad beatiſſima Eccleſiae tempora mihi videbar eſſe delatus , & cum ſanctiſſimis illis Epiſcopis Alexandro Hieroſolymitano , Auguſtino Hipponenſi , Etherio Lexovienſi , Ledrado Lugdunenſi , Caeſarioque Arelatenſi quaſi verſari , qui ſuis in aedibus ſcholas patere voluerunt , in quibus Clerici ad ſeveriores quaſque diſciplinas quotidianis praeceptionibus informarentur [1] . Quoniam vero apprime intelligebas, veriſſimum eſſe , quod pulchre , ac diſerte dixit Gregorius Nazianzenus [2] , Theologiam ſuos habere ornatus , ab eruditione , variaque lectione petendos ; ſapienter provideras , ſacra Academia inſtituta , ut quae eſſent in hiſtoria Eccleſiaſtica difficultatibus obſtructa , quae in re Liturgica obſervatu praeclara , Te coram a viris doctis alternatim diſceptarentur . Mirifice etiam penitior illa tua ſacrae , eruditaeque vetuſtatis cognitio fuit omnium praedicatione celebrata , quum marmoreum Kalendarium nongentis annis antiquius , ineluctabili rerum fato brevi interiturum , ab impendenti vaſtitate , ac ruina prohibuiſti , & ad omnem poſteritatis memoriam , commoditatemque loco illuſtri affigi mandaſti , perpetuoque commentario explicari . Nemo quippe

1 V. Launoium *de Scholis celebrioribus per Occidentem inſtauratis . Luteciae* 1672. Thomaſſinum *Vet. & Nova Eccleſ. diſcipl. part.* II. *lib.* I. *cap.* XCII. *&c. Pariſiis* 1688. Dominicum Auliſium *delle Scuole ſacre lib.* II. *Napoli* 1723. Jacobum Brukerum *Hiſtor. Critica Philoſophiae. To.* III. *period.* II. *par.* II. *lib.* II. *cap.* II. *de Philoſoph. Chriſt. Occiden. Lipſiae* 1743.

2 *In Oration.* II. *de Theologia , & de laud. Baſil. Lutecia* 1609.

pe non animadvertebat, dum haec juberes, Te e veſtigio eſſe conſpicatum, quantum ſplendoris, ac praeſidii in antiquitates Eccleſiaſticas ex hoc litterato lapide poſſet redundare. Plura adhuc urbs illa ex ſapientia tua, mentiſque magnitudine praeſtolabatur; plura jam parabat incredibilis tua, Tibique penitus inſita benefaciendi propenſio, ſed graviora Religionis negotia Te Romam acciverunt, factumque eſt inſcrutabili divini numinis conſilio, ut relicta Neapolitana, ſanctiſſima, ac ampliſſima Sede, & jure optionis adminiſtrandae Eccleſiae Praeneſtinae admotus, poſt auctum Dei cultum, pietatemque amplificatam, eximia litterarum ſtudia illuc etiam importares.

Verum quantum ceteris terrarum omnium urbibus antecellit orbis caput, Religionis arx, ſedeſque Roma, tanto hic major rerum tibi naſcitur ordo. Quod enim fuit ſupremis his temporibus, ex quo Romam acceſſiſti, negotium, aut natura ipſa grave, aut periculi plenum, aut exitu anceps, in quo Sapientissimus Pontifex, antequam deliberaret, Te non conſiliatorem petiverit? Quid ab eo vel pro integerrimis Apoſtolicae Sedis rationibus, vel pro Catholicae Eccleſiae tranquillitate ſancitum, in quo Te non magnarum rerum adjutorem delegerit? At ſplendidius fortaſſe numquam in Te enituit divinae gloriae, & ſalutis hominum cauſſa, non dicam in excogitando ſolertia, in decernendo conſilium, in agendo mira contentio, ſed magna, conſummataque ſacrarum litterarum peritia, quam cum celeberrimae ubique gentium Congregationis, ut vocant, de Propaganda Fide inſignis Praefectura tibi fuit demandata. Nam quum ingenti ſane illius ſumptu ex quavis natione adoleſcentes alantur, Chriſtianae doctrinae ſatores, & haereſiomachi aliquando futuri, qui ad barbaras, vel Eccleſiae perduelles gentes longa navigatione, aut moleſto itinere trajiciant, atque inter eas, aliis errores, quibus miſere ſunt imbutae, patefaciant, aliis dogmata, inſtitutaque noſtra tradant; probe intellexiſti, nihil ad eam rem praeſtantius, nihil ad utilitatem potius effici poſſe, quam ſi certa quaedam, idonea,

idonea, propria, emendatiſſima, & ſucci plena ſtudiorum ratio pro Alumnis conſtitueretur. Hanc a Te mente jam comprehenſam, & cogitatione nitidiſſime informatam viris tum ingenio cum eruditione, inſtructiſſimis deſcribendam, ornandamque commiſiſti: hanc piiſſime urges, huic perficiendae allaboras: & quod ſapientis, excelſique animi proprium eſt, prudenter irridens, deſpicienſque aſtus, obtrectationes, ſcriptiunculas nequiſſimas, quas invidia, fraus, improbitas finxit, evomuit, diſſeminavit, hanc propediem prodire ſatagis. Atque utinam mihi tanta eloquii vis, tantus orationis nitor contigiſſet, ut uberes, ac diuturnos fructus, quos & litteras, & Religionem certiſſimo capturam videmus, dicendo exaequare poſſem. Quamquam ego quid externa conquiro, quum ex veteri, mihique perhonorifica, qua fruor, tui conſuetudine ſatis de magno ingenio, ſatis de multiplici tua eruditione queam aeſtimare? Eapropter quae a me ad ſingulare, & hactenus vix pertentatum diſciplinae Eccleſiaſticae caput explicandum hoc libro ſunt collecta, Tibi expendenda, emendandaque libens, volens, obſequens defero; nihil enim mihi umquam erit jucundius, nihil optabilius, nihil honorificentius, Doctissime Cardinalis, quam patrocinio, numine, praeſidioque tuo ad haec ſanctiſſima ſtudia excolenda foveri, atque excitari.

CA-

CAPVT PRIMVM.

Balneorum uſus Chriſtianis quondam minime interdictus. Martyrum Lugdunenſium de ea re epiſtola. Quid ſibi velint SS. PP. quum balnea vituperant. Balnea in Aſiaca, & Africana Eccleſia recepta. Vindicatur Irenaei, Epiphanii, Theodoriti, & Euſebii narratio de Iohanne Evangeliſta balneum ingrediente adverſus acatholicos ſcriptores. Ad criminis emundationem Graecis, aeque ac Latinis balnea uſitata ex Chryſoſtomo, Cyrillo, Theophilacto, & Gregorio M. docetur. An ea tantummodo adirent, ut Iſidorus ſcripſit, qui impura Venere ſe ſe contaminarant.

QUOD in omnibus cauſſis principio fieri ſolet, ut quae illis plurimum videntur incommoda, quaeque ſuſceptae orationis curſum retardare poſſent, ipſo in aditu removeantur, id mihi in praeſenti video eſſe faciendum, ne popularis quaedam, planeque inepta opinio poſſit his, quae a me dicentur, fidem aliqua ex parte derogare. Scilicet nonnulli ſunt, quos ea pervaſit ſententia, veteres Chriſtianos a lotionibus ſic abhorruiſſe, ut quo religionis ſtudio a ludis, & conviviis, a circo, ac theatro ſibi cavebant, eodem a balneis arcerentur. Quod qui exiſtimant, nec antiquam diſciplinam ſatis norunt, nec Eccleſiaſticam hiſtoriam attendunt. Porro in hac nihil fortaſſe memorabilius, nihilque in rem accommodatius epiſtola illa, quam beatiſſimi Jeſu Chriſti teſtes, apud Viennam, & Lugdunum paſſi ad fratres per Aſiam, & Phrygiam degentes, imperante Antonino Vero, perſcripſere. Narrant illi moerore, & aegritudine afflicti quantopere aerumnis premerentur, probris omnibus, miſeriiſque vexarentur, qua inuſitata rabie, quove precipiti furore Ethnici beatos Martyres tunc inſectarentur. Tantum fuiſſe ferocitatis impetum, & malorum cumulum, immanitatem, & ſaevitiem eo uſque proceſſiſſe ajunt, ὥστε μὴ μόνον οἰκιῶν, καὶ ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ, καὶ ἀγορᾶς εἴργεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ καθόλου φαί-

νεσθαι

νεσθαι ἡμῶν τινὰ, ἀυτοῖς ἀπειρήσθαι ἐν ὁποίῳ δήποτε τόπῳ; adeout non ſolum ab aedibus, a BALNEIS, a foro arceremur, verum etiam interdictum fuerit, ne quis noſtrum quocumque demum in loco appareret. [1] Si ergo Martyres Deo cariſſimi nedum bonorum direptiones, injuſta judicia, vim, contumelias, quibus erant oppreſſi, conquerebantur, ſed etiam quod *a Balneis* prohiberentur; lugubris haec eorum lamentatio indicium affert apertiſſimum, lavationes in thermis apud illos fuiſſe uſitatas; neque enim ſi balneorum uſus probro, aut crimini fuiſſet, eam rem adverſariis, ac Tyrannis exprobrare potuiſſent homines, qui Chriſti legi magna cum fide ſe obtemperare gloriabantur.

Neque vero ab hac ſententia recedere me jubent, quas interdum apud Patres legere eſt, balneorum vituperationes. Nam quatuor eſſe poſſunt cauſſae, ut monet Clemens Alexandrinus, ob quas ad balnea quiſpiam ſe conferat *ἢ καθαρότητος ἕνεκα, ἢ ἀλέας, ἢ ὑγείας, ἢ τὸ πλευταῖον] ἡδονῆς, vel cauſſa munditiei, vel caloris, vel ſanitatis, vel poſtremo voluptatis.* [2] Vitio certe vertendum homini Chriſtiano, ſi ad oblectamentum, libidinemque id feciſſet, nuſquam vero ſi ad novos ſpiritus ſumendos, quum adverſa uteretur valetudine, vel ad corpus tergendum, quum diuturna illuvie, foeditateque ſorderet: quamobrem moris hujus exempla ab ipſis pene Chriſtianae Reipublicae primordiis licet arceſſere. Horum primum illud eſto, quod ex geſtis Epheſi a S. Johanne Jacobi fratre ſuppetit, quem Euſebius, [3] Irenaeus, [4] Theodoretus [5], aliique tradunt, quum balneum eſſet ingreſſus, viſo intus Cerintho, mox illotum profugiſſe, atque in haec prorupiſſe verba: abſcedamus hinc, ne forte balneum praeceps corruat, in quo eſt Cerinthus veritatis inimicus. In qua tamen hiſtoriae Apoſtolicae periocha non ſum neſcius, eſſe recentiores aliquos heterodoxos ſcriptores eruditione praeſtantes, ſed ingenio intemperanti, qui ab Irenaeo, Epiphanio,

1 Apud Euſebium Caeſarienſem *Hiſtor. Eccleſ. lib.* v. *cap.* 1. *Cantabrigiae* 1720.

2 *Paedagog. lib.* III. *cap.* IX.

4 Irenaeus *adverſ. Haereſ. lib.* III. *cap.* III. curante Maſſueto Pariſiis 1710.

4 Euſeb. *lib.* III. *cap.* XXVIII. Item *lib.* IV. *cap.* XIV.

5 Theodoritus Cyri Ep. *Haereticarum Fabular. lib.* II. *cap.* III. Opera Sirmondi. *Lutetiae* 1642.

nio, Euſebio, Theodoreto, aliiſque Catholicis viris, quorum ſumma fuit rerum ſacrarum peritia, exquiſitumque judicium, Baronio, [1] Pamelio, [2] Maſſueto, [3] Petavio [4] plane diſſentiunt, eo certe animo, ut fidem excitatis mox Patribus detrahant, & narrationem noſtris probatam, velut pro arbitrio confictam, & fabuloſam, aut ſaltem ſuſpectam traducant. Quod ut conſequantur primo quidem ἀντιλογίαν exaggerant inter Irenaeum, & Epiphanium, quorum prior Cerinthum, alter vero Ebionem a Johanne in balneo objurgatum, execratumque affirmat. Tum illud dictitant, nullum umquam exſtitiſſe *Ebionem*, quod ea vox ex hebraico ſermone ducta, non hominem aliquem definite demonſtret, ſed *pauperculum* ſignificet. Haec tota vis collectionis, hoc robur, hoc loquaciſſimae, & inertiſſimae argumentationis caput eſt, & ſumma. Videas nihilominus in hac ſententia verſari Vitringam, [5] Rhenferdium, [6] J. Langium, [7] Arnoldum, [8] Clericum, [9] Adolphum Lampium. [10] Non ego illos domeſticis, & propriis damnabo teſtibus; non ſuae factionis homines fama litterarum conſpicuos opponam Baſnagium, [11] Cramerum, [12] Ittigium, [13] Caveum, [14] Daneum, [15] Hildebrandum, [16] Walchium, [17] aut magna apud illos nomina Magdeburgenſes, [18] aut qui Arnoldum, & Lampium ex inſtituto refutarunt, Frichium, [19] & Oederum, [20] quibus omni-

1 Ad An. xxxiv.

2 *In Not. ad Tertullianum de Praeſcriptionibus* Pariſiis 1584.

3 Ad laudatum Irenaei locum.

4 *Animadverſ. ad S. Epiphanium T.* II. *pag.* 59.

5 *Obſervationes ſacrae lib.* v. *cap.* 10. *Franequerae* 1712.

6 *De Judaeorum Haereſibus in opp. Philologic. Ultrajecti ad Rhenum* 1722. Adde ex noſtris Richardum Simonium *Hiſtoire Critique du Noveau Teſtament. cap.* VIII. *Pariſ.* 1681.

7 *Haereſ. ſaeculi* 1. *Diſſert.* IV. *Halae* 1722.

8 *Hiſtoria Eccleſ. Part.* I. *lib.* I. *cap.* IV.

9 *Hiſtor. Eccleſ. ad An.* XXXII. *Ameſtelod.* 1716. *Vittemberg.* 1718. V. Henrici Edzardi *Diſſ. de Johanne Cerinthi praeſentiam fugiente Vittemb.* 1732.

10 *Prolegomena in Evangel. Johannis cap.* v. *Lipſiae* 1698.

11 *Annales Politico Eccleſiaſtici Tom.* I. *pag.* 819. *Rotterodami* 1706.

12 *Arbor Haereticorum cap.* III. *Argentorati* 1623.

13 *De Haereſ. p.* 38. *Lipſiae* 1696.

14 *Hiſtor. litterar. Tom.* I. *ad S. Joh. Baſileae* 1741.

15 *Comment. de Haereſ. Genevae* 1576.

16 *De Haereſ. Helmſtadii* 1746.

17 *Hiſtoria Eccleſiaſtica Nov. Teſt. ſec.* I. *cap.* IV. §. 21. *in Not. Jenae* 1744.

18 *Centuria I. lib.* II. *cap* 22. *Colon.* 1560.

19 *De Cura Veterum circa Haereſ. Ulmae* 1736.

20 *De Scopo Evangelii Johannis pag.* 22. *Lipſiae* 1732.

omnibus narratio illa, antiquorum Chriſtianae religionis ſcriptorum teſtimonio ſubnixa, ea viſa eſt, quae levibus adeo argumentis refelli, labefactarique non poſſet. [1] Orationis levitatem propius diſpiciamus. Primo quidem fieri potuit, ut ab Irenaeo Cerinthus nominetur, ab Epiphanio autem Ebion, quod ambo aetate ſuppares, ambo veritatis inimici, ambo a Johanne (teſte Hieronymo [2]) qua verbo, qua ſcripto appetiti in idem balneum una hora convenerint. Deinde ſi Ebionis nomen aut Epiphanio inconſulto excidiſſe conceſſero, aut in illius ſcripta a calligraphis perperam intruſum dixero, quid umquam auctoritatis ea res demere poterit antiquiori Irenaeo, qui hiſtoriam a Polycarpi diſcipulis aure acceperat? Alterum vero argumentum, quod in voculae cavillatione poſitum eſt, quam facile dicitur, tam facile a nobis contemnitur. Nam quis umquam ſanae mentis homo, Ebionem revera vixiſſe negabit, quem non dicam Hilarius, Pacianus, Philaſtrius, ſed horum multo vetuſtior Ignatius Martyr in epiſtola ad Philadelphienſes (quae inter genuinas, minimeque interpolatas ab Vſſerio, [3] Iſaaco Voſſio, [4] Caveo, [5] Tillemontio, [6] Ruinartio, [7] & Cellierio [8] recenſetur) pluribus verbis deſcripſit? Cujus denique mentionem, nomenque vel ex Rabbinorum libris Lightfootus depromſit? [9] Neque latet me, Baylaeum, qui compoſitis mendaciis, & conſutis dolis ſemper paratiſſimus accedit, ut veritati tenebras, caliginemque offundat, multa de hoc turbaſſe [10]; ſed thecnas illius, verſutiaſque diligentiſſimus Ordinis mei ſcriptor Travaſa [11] detexit, ſtrenue-

C que

1 Longe a Moshemii ſententia abſcedimus, cui nihil certi de hoc conſtitui poſſe, ſed in utramque partem eſſe diſputandum, viſum eſt. V. ejuſdem *Diſſertationem* ıx. *Tom.* I. *Diſſert. Hiſt. Eccl. Altonaviae* 1743.

2 *In Catalog. Scriptor. Eccleſ. edit Pariſien.* 1643.

3 *Epiſtolae Ignatii, & Polycarpi ab Vſſerio collectae Oxonii* 1644.

4 Eaedem *Genuinae* G. L. Voſſio interprete *Amſtelod.* 1646.

5 *Vbi ſupra.*

6 *Memoires pour ſervir a l' Hiſtoire Eccleſiaſtique. Tom.* ıı. *Not.* ıx. *pag.* 582. *a Pariſ.* 1701.

7 *Acta Martyrum Praef. Pariſ.* 1689.

8 *Hiſtoire General des Auteurs Eccleſiaſtiques Tom.* I. *art.* ıı. *à Paris* 1729.

9 *In Parergo de excidio Vrbis. Opp. Tom.* ıı. *Roterodami* 1686.

10 *Dictionaire artiel.* (CERINTVS) *Amſterdam* 1730.

11 *Storia Critica delle Vite degli Ereſiarchi. Tom.* I. *Storia di Cerinto cap.* VII. *Vene-*

que diſſolvit. Nulli ergo ambiguum eſſe poteſt, virum ſanctiſſimum, qui *totas Aſiae fundavit, & rexit Eccleſias*, balneum adiiſſe, ſuoque exemplo Clerum, populumque Epheſinum docuiſſe, ut, ſi lotione egeret, illa libere uti poſſet. Cum Gallicanae, Aſiacaeque Eccleſiae moribus mirifice convenit Africanae conſuetudo. An non aſperrimae indolis, ac perſeverus homo Tertullianus de ſe ait: *non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam; attamen lavor hora honeſta, & ſalubri, quae mihi calorem, & ſanguinem ſervet* [1]. Quin Auguſtinus, ut allatam ſibi ex interitu Matris moeſtitiam leniret, balneum adiit. *Viſum etiam mihi eſt, ut irem lavatum, quod audieramus inde balnei nomen inditum, quod anxietatem pelleret ex animo.* [2] Itaque quin plura accumulem, longioremque faciam diſputationem, liquidiſſime conſtare arbitror, nihil ſic temere, falſeque jactari, quam majores noſtros balneorum lotiones ex Chriſtianae diſciplinae praeſcripto repudiaſſe.

Atqui religio, ubi pectore recepta eſt, tantum admiſſi ſceleris nonnumquam ingerit pudorem, ut de his, quae impie, quae inhoneſte, quae turpiter geſſimus, erubeſcamus, quaſique perverſa contagione intus, foriſque corripi, foedarique intelligamus. Altera hinc naſcitur, ſe ſeque prodit cauſſa,

Venezia 1752. De hujus hiſtoriae probabilitate, veritateque placet judicium hic proferre hominis oppido eruditi, ſed a noſtris partibus prorſus alieni, quo facilius appareat [illegible] illos, mox recenſitos, rerumque noſtrarum oſores, impetu potius, & invidia, quam veri inveniendi ſtudio in dijudicando duci. Eſt is Johannes Laurentius Moſhemius, qui in *Inſtitutionibus Hiſtoriae Chriſtianae majoribus ſaec.* I. *part.* II. *cap.* V. *Helmſtadii* 1739. auditores ſuos ſic affatur. *Etenim haec ſi argumenta valere debent: Irenaeus, & Epiphanius in nomine hominis minime conſentiunt: Irenaeus nimis credulus fuit, neque certos, & ſpectatae fidei teſtes nominat; igitur narratio haec in fabulis numeranda: haec, inquam, ſi valebit diſputandi ratio, maxima pars antiquioris hiſtoriae abiici, & falſitatis condemnari poterit. Ego quidem in ea ſum ſententia, veterum narrationes, quae nihil habent aperte abſurdum, vel aliis rebus minime dubiis adverſum, ſi minus firmiter credendas, nec tamen explodendas, aut generalioribus argumentis infirmandas eſſe. atque haec mihi lex cum aequitati, tum rectae rationi, & prudentiae conſentanea videtur. Hoc vero in eventu* (de S. Johannis in balneum acceſſu) *nihil ego cerno, quod ſe ipſum conficiat, vel ab omni fide remotum ſit.*

1 *Apologet.* XLII. Sigebertus Havercampus in edit. Apologetici Lugdun. Batav. 1718. reſtituit pro *lavor*, *lavo*, docetque in perpetuis adnotationibus ad hunc librum, Carthaginenſem Presbyterum non balnea, ſed illorum abuſum damnaſſe.

2 *Confeſſionum cap.* IX. *ed. Maur. Pariſiis* 1679. Confer quae iidem religioſiſſimi viri adnotarunt de uſu balneorum apud veteres Chriſtianos, *in Praef. tom.* II. *Opp. S. Ambroſii. Pariſiis* 1686.

cauſſa, cur optimi illi Chriſtiani, quorum erat tam fervens, tam integrum, tam conſtans colendae religionis ſtudium, balnea aliquando ſibi eſſe neceſſario adeunda exiſtimarent. Nam quamvis temperantiam, pietatem, modeſtiam, virtuteſque omnes conſectarentur, ſi quando tamen aut communi errore, aut cogitata ratione culpam ſuſciperent, peſſimoque flagitio ſe alligarent, lotione putabant confeſtim ſibi eſſe opus: praeſertimque poſt impuram, & ſceleſtam venerem, nec Deum precari, nec in templa pedem inferre, niſi prius in balneo poſitis quodammodo ſordibus, ſibi permiſſum rebantur.[1] Mira, planeque ſumma eſt illorum, quos merito auctores, ac teſtes fidei noſtrae appellamus, hac in re ſententiarum conſenſio; ſed ea niſi latius explicata, & per partes adſtructa ſit, minus ponderis habitura videtur. Producendus primo diſertiſſimus Chryſoſtomus, qui homilia XVIII. in I. ad Corinthios ait: *τίνος ἕνεκεν ἐπὶ Βαλανεῖον μετὰ τὴν ἁμαρτίαν τρέχεις ἐκείνην; οὐκ ἐπειδὰν βορβόρου παντὸς ἀκαθαρτότερον ἑαυτὸν εἶναι νομίζεις. Quare, ad balneum poſt peccatum curris? Nonne quia immundiorem omni luto te ipſum cenſes?*[2] At praeſtantiſſimus eſt, & omnium expreſſiſſimus Cyrilli Archiep. Hieroſolymitani locus Catecheſi VI. *ὁ μὲν γὰρ πορνεύσας πρὸς μίαν ὥραν διʼ ἐπιθυμίαν τελεῖ τὴν πρᾶξιν, καταγινώσκων δὲ τῆς πράξεως ὡς μιανθεὶς οἶδε λουτροῦ ἐπιδεόμενος, καὶ γινώσκει τῆς πράξεως τὸ μυσαρόν. Qui enim corpus ſtupro polluit per unam horam libidinem explet: mox factum condemnans ſe uti inquinatum balneo egere novit, commiſſique ſui ſcelus, & foeditatem cognoſcit.*[3] A quarto Eccleſiae ſaeculo ad undecimum eam manaſſe perſuaſionem, ex Theophilacto evincitur, qui paucis immutatis eadem refert, quae Chryſoſtomus, & Cyrillus: *ἐπὶ βαλανεῖα τρέχειν ἔθος*

1 Habes de hoc luculentiſſimum teſtimonium Auctoris *Clementinarum* lib. VI., aliorumque. V. Suiceri *Theſaur. Eccleſ. Tom. I. v. βαλανεῖον. Amſtelod.* 1728. Ethnicos nihil moror, etſi non lateat me, lege luſtrationis ſubiici, qui libidinoſe quicquam feciſſent. Conſule Lakemacherii *Antiquitates Graecorum ſacras part.* III. *cap.* III. §. IV. Graecos id moris ab Aegyptiis accepiſſe docet Clemens Alexandrinus in primo Stromatum: *μηδʼ εἰς ἱερὰ εἰσιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλούτους ἐνομοθέτησαν: atque ad ſacra ab uxore illotos tranſire lege vetuerunt.*

2 Edit. Ducaei *Pariſ.* 1616.

3 *Edit. Pariſienſis* 1720. Ad quae Cyrillo illuſtrando congreſſit doctiſſimus Touttaeus, diligentiſſimus totius operis enarrator.

τοῖς προνεύσασιν, ὡς μολυνθέντος δηλαδὴ τοῦ σώματος; ad balnea accurrere ſolent, qui fornicati ſunt, ceu corpore jam polluto [1].

Ac ne quiſpiam illud in animum inducat ſibi, Graecos tantum, quos peculiares omnino ritus ſibi vindicaſſe, multaque in rebus Eccleſiaſticis a Latinis diſſimilia retinuiſſe comperimus, ejuſmodi probaſſe lotiones; in promptu eſt, quod Gregorius M. ex Maximiani Syracuſarum Epiſcopi relatu accidiſſe narrat in Provincia Valeriae flagitioſo cuidam Curiali, qui quum ſacratiſſimo Paſchali ſabbato virgunculam depudicaſſet, *πρωΐας δὲ γενομένης, ἀνέστη ὁ ἄθλιος καὶ διαλογίζεσθαι ἤρξατο, ἵνα εἰς τὸ λουτρὸν ἀπέλθῃ, δοκῶν διὰ τοῦ ὕδατος τὸν τῆς αμαρτίας μολυσμὸν ἀποπλῦναι; quumque mane facto ſurrexiſſet reus cogitare coepit, ut ad balneum pergeret, ac ſi aqua balnei lavaret maculam peccati &c.* [2] Sed eſt apud Iſidorum cognomento Peluſiotam ad id, quod nunc agitur, accommodata, & ſcitu non inutilis obſervatio; ſcilicet balnearem luſtrationem eos tantum crediciſſe ſibi neceſſariam, qui venere, ac libidine perciti obſcenis indulſiſſent voluptatibus, ſecus, qui alio quovis crimine ſe contaminaſſent; eo quia *τὰ ἄλλα ἁμαρτήματα ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστι τοῦ δρῶντος, τοῦτο δέ τὸν δρῶντα μολύνει, cetera delicta ſunt extra corpus perpetrantis, hoc autem* (ſc. libidinis) *ipſum coinquinat perpetrantem.* [3] Haec tamen differentia argute magis, quam vere videtur excogitata. Nam macula, quae peccato infertur, non ideo putabatur balneo eluenda, quod corpus tantum foedaret; tunc enim lavatio illa mere civilis, non vero religioſa fuiſſet, ſed ut a Thoma Paſſnero, Lutheranae quamvis factionis homine, obſervatum eſt [4], *non ad munditiem tantum, ſed ad religionem pertinere viſum fuit ſordes aqua diſpungere, ad animum ſcilicet uſque perventuras, ni corpore abſterſiſſent.* Quamobrem Eccleſiae Patres quamvis eos potiſſimum lotum ire juberent, qui ſalaces fuerant, certe non inficia-

1 *In cap. vi. ep. 1. ad Corinthios. Londini* 1636.

2 *Dialogorum* lib. iv. *cap.* xxxii. Maurin. *Pariſiis* 1705.

3 *Lib.* iv. *epiſ.* cxxix. edit. G. L. Billi *Pariſiis* 1738.

4 *Obſervationes Eccleſiaſticae. Obſerv. de lotionibus Chriſtianorum Jenae* 1694.

ficiabantur, balneo etiam egere, qui rectae fidei deſertione, vel perjurio, vel caede, furtove peccarant.

CAPVT SECVNDVM.

Chriſtiani balnea adibant, ut ad ſacra celebranda ſe compararent. Perverſa de loticnibus Chriſtianorum Moshemii querela. Ante Baptiſmi ſuſceptionem Catechumeni ſordes in balneo ponebant. Auguſtinus qui intelligi debeat. Locus Zenonis Epiſc. de hac re male ſollicitatus explicatur. Inſtantibus ſollemnioribus anni diebus lavatio per plura ſaecula Chriſtianis uſitata. Conciliorum ſanctiones, quibus balnea ἀνδρόγυνα Chriſtianis vetabantur.

QVONIAM antiqui legum noſtrarum magiſtri, arbitrique caeremoniarum divina mente praediti ſollemniter, crebroque effari ſolebant, ſancta ſanctos, & munda mundos decere, ſic illud mentibus Chriſtianorum & animo perceptum, & memoria cuſtoditum haerebat, ut quamvis integri, ſceleriſque puri culpa ſe vacare confiderent, nihilominus, quum templa oratum adirent, luſtratione aliqua adhuc eſſe opus exiſtimarent. Tantam ſcilicet immortali Deo, ſacriſque myſteriis reverentiam cenſebant adhibendam, ut nec illum votis propitium habituros, nec iſta pleniſſime ſibi profutura vererentur, niſi, praeter inſontem animum, corpus bene terſum attuliſſent. Quamquam, quum interdum levibus ſubrepat animis inepta credulitas, ut quae optimo conſilio, ductuque ſunt inſtituta, depraventur immoderata cultura; fuere Tertulliani aevo [1] homines ſcrupuloſiores, qui nec minimas fundebant preces, quin lavacrum interarent. Atque haec, ut arbitror, inconſulta aliquorum ſuperſtitio fuit, quae tantam hujus ritus averſationem Moshemio ingeſſit, ut in adnotationibus *ad Syſtema Intellectuale* Cudwortii [2] ſibi permoleſtum accidiſſe dixerit, hanc de luſtrationibus ſententiam,

1 *De oratione cap.* XI. *Lutetiae* 1675.
2 *Tom.* II. *cap.* V. *ſect.* III. *corpus animae ex mente veterum Jenae* 1733.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

tentiam, a ſcriptoribus Eccleſiaſticis (inquit ille) improbatam, migraſſe in Chriſtianam rempublicam. Sed homini, quavis ſummo ingenio, omnique liberali doctrina exculto, memoria hic excidit, multa, quae contaminatae religionis eſſe videntur, non Eccleſiae Catholicae, ſed praejudicatae vulgi opinioni eſſe tribuenda; proindeque argumentum petitum a ſuperſtitione, quae imbecillium animos occupavit, leviſſimum ſemper fuiſſe habitum, & ad probandum elumbe, infirmum, nugatorium. Ceterum, ut Diadochus Epiſcopus Photices monuit[1]: *conferre ſe ad balneum peccatum nemo, aut a ratione alienum dixerit*, etiamſi devotae mentis inſtinctu id fiat. Qua in re non incerta profecto, aut ſuperſtitioſa ad piiſſimam Chriſtianorum conſuetudinem aſſerendam comparabimus exempla. Nam ne quid diſputem de humanae ſalutis vindice, novaeque legis auctore Jeſu Chriſto, quem aquam luſtralem, balneaque purificationis cauſſa frequentaſſe oſtendit Scacchus in Elaeochriſmatωr Myrothecio[2]; ad id, quod maxime rem, cauſſamque continet, noſtra proficiſcatur oratio.

Jam illud eſt compertum, ſtatos duos anni dies, quibus unice, *excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu*[3], baptiſmus Catechumenis competentibus conferebatur, multa olim praeceſſiſſe, jejunia videlicet, humicubationes, vigilias, exorciſmos, nominis mutationem, caeteraque a Leidrado[4], Theodulpho Aurelianenſi[5], aliiſque narrata[6]. Haec tandem excipiebat totius corporis lavatio ex poenitentia ſordidati. Praeclare hic nobis ſuffragatur Auguſtini teſtimonium, qui ad Januarium ita perſcripſit: *Si autem quaeris cur etiam lavandi* (Catechumenos) *mos ortus ſit nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, niſi quia baptizandorum corpora per obſervationem Quadrageſimae ſordidata cum offenſione*

ſenſus

1 *De perfect. Spiritual. cap.* LII. *Biblioth. PP. Lugdun. tom.* v.

2 *Cap.* XXXII. & XXXIII. *edit. Rom.*

3 Gelaſius PP. *ad univerſos Epiſc. ep.* IX. Labbe *Conc. tom.* IV.

4 *Lib. de Baptiſmo cap.* I. *ad Carolum M.* in Analectis Mabillonii *tom.* III. *Pariſ.* 1682.

5 *De Baptiſm. cap.* VIII. Inter opera Sirmondi *tom.* II. *Pariſiis* 1696.

6 Joſeph Vicecomes *obſervationum Eccleſiaſticar. vol.* I. *lib.* II. *Mediolani* 1615. Martene *de Antiqu. Eccl. Rit. lib.* I. *art.* IX. & *ſeq. Rhotomagi* 1700.

ſenſus ad fontem tractarentur, niſi aliqua die lavarentur [1]. Neque illud ſatis intelligo, cur haec Auguſtini verba a noſtris communiter ſic detorqueantur, ut his infantium *Capitilavium* (de quo inferius agemus) innui, ſignificarique arbitrentur. Eſt id non falſum tantum, ſed cum ipſa eximii doctoris oratione pugnans; *corpora* enim Auguſtinus hic memorat, non *caput*; de adultis, qui *quadrageſimali obſervatione* ſordidabantur, agit, non de infantibus, quibus corporis afflictationes ante baptiſmum haud indicebantur [2]. Praeterea quum ea Catechumenorum purificatio ob id potiſſimum ab Auguſtino dicatur inſtituta, ne ſacri fontes foedarentur; quumque non guttatim aqua piacularis in capita infunderetur, ſed *toto corpore* tingerentur baptizandi [3], neceſſario ſequitur, totum corpus ante baptiſmum tergi, emundarique conſueviſſe. Id autem in balneis fuiſſe revera peractum nemo praeſtantius, ac diſertius, quam Zeno Veronenſis explicavit, qui in VI. *Invitatione ad fontes* ſic Catechumenos ſuos affatur: *Jam BALNEATOR expectat, quod unctui, quod terſui opus eſt praebiturus*. Non hic ego figuratam orationem deprehendo, nec illud Ballerinio, viro licet graviſſimo, & erudito concedam *Balneatoris* nomine Epiſcopum ἀλληγορικῶς a Zenone deſignari, & balnei imagine ipſum baptiſmum repraeſentari, in quo neophyti chriſmate conſecrato perungebantur [4]. Locus hic nihil habet metaphora retruſum, nihil expeditu difficile; ſenſuş eſt obvius, naturalis, apertiſſimus: invitantur nimirum a ſanctiſſimo illo Antiſtite Chriſtianae diſciplinae alumni ad fontem ſacrum, monenturque, quoniam inſtabant delecti ad id dies, ut ad balneum ſe conferant, ibique ſordes eluant, mundatique ad baptiſmum ſubinde

1 *Epiſt.* LIV. alias CXVIII. Ed. Maur.

2 Non latet me, juſſum olim matribus, ut infantes ad bapeiſma jejunos deferrent ob Eucbariſtiae reverentiam, quae illis ſtatim adminiſtrabatur. Multa pro more ſuo ex optimis antiquitatis fontibus ducta in hanc rem collegit ss. D. N. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.* VIII. *cap.* XII. *nov. edit.* Ac hoc certe nihil pertinet *ad obſervationem Quadrageſimalem*, de qua S. Auguſtinus.

3 Nihil apertius ipſius Auguſtini verbis in *Sermone* ad Neophytos ab Ivone Carnotenſi, & Gratiano in corpus Juris Pontificii relatis: *in hoc ergo fonte, antequam vos TOTO CORPORE tingeremus, interrogavimus, credis in Deum &c.* Vicecomes *lib.* IV. *cap.* VII.

4 Cl. Ballerinius *not.* ad S. Zenonis opera *lib.* II. *tract.* XXXV. *Veronae* 1739.

inde accedant ; ideoque balneatorem quaſi indigitat ampulla unguentaria, ſtrigili, linteamine inſtructum, & Catechumenos jam expectantem [1]. Si id igitur verba ipſa praeſeferunt, eorumque planiſſima ſignificatio cum antiquis Eccleſiae ritibus apprime congruit, nihil eſt, cur operoſa interpretatione aliena, & metaphorica hinc colligere nitamur.

Sed qui honos a Chriſtianis baptiſmo eſt habitus, is etiam ſtudioſe coeleſti praeſtabatur convivio. Declarat hoc non erudite minus, quam expreſſe totius Eccleſiaſticae antiquitatis, ita dicam, promus condus Mabillonius, qui poſtquam recitavit verba hiſtoriae S. Willelmi Monachi Gellonenſis: *ſanctis Altaribus hanc ſervabat reverentiam, ut prius quam ſumpturus iret Euchariſtiam, aquis perfunderetur*, exquiſita animadverſione addit: *eadem conſuetudo pleroſque alios tenuit, ut in diebus ſollemnioribus BALNEORVM uſu corpora ſua purgarent, haud dubie ob reverentiam ſacrae Communionis* [2]. Ad id plurimum etiam pertinere videtur illud, quod legitur initio narrationis miraculorum S. Melanii Epiſcopi Rhedonenſis, qui maximam virtutis, praeſtantiſque animi opinionem apud homines ſaeculo ſexto erat conſequutus. Anonymus itaque vitae illius ſcriptor Britanniae Gallicae conſuetudinem ibi deſcribens ſic exorditur. *Moris eſt Chriſtianorum, Dominicos dies ob Dominicae Reſurrectionis honorem ubique venerantium, Sabbatorum diebus laborum ſudorem, corporum faticationes balneorum aquis lavando frequentius recreare, ſordidas lotis veſtibus mutare, ut terrenam coeleſtis Regis curiam, praeſentem videlicet Eccleſiam, mundiores ut corde, ſic corpore valeant intrare* [3]. Morem hunc piiſſimum ad undecimum uſque ſaeculum propagatum, omniuo tunc viguiſſe, intelligitur ex libro de *Officiis Eccleſiaſticis* Johannis Abrin-

1 Erit fortaſſe qui nobis exprobret eum Lactantio *Divi Inſt. lib.* vi. *cap.* xxii. Chriſtianos numquam unguento illitos inceſſiſſe, quod delicatulis, ac voluptuoſis vitio dabatur. Sed quae a *Servo Balneatore* praeſtabatur unctio occaſione Baptiſmatis, & munditiei cauſſa, non ea ſane mollis pollutura, ut Catechumeni jucunde olerent, verum levis, permiſſaque unctatio ad ſordes detergendas.

2 *In Praef. ad ſaeculum* v. *Ord. s. Benedicti pag.* 372. *edit. Tridenti.* 1724.

3 Apud Bolland. *Acta SS. tom.* 1. *ad* vi. *Januar.*

Abrincenſis, deinde Rhotomagenſis Archiepiſcopi. Is enim de caeremoniis agens, quae in nocte Natalis Domini ſunt retinendae, peractis nocturnis precibus, antequam de Miſſa in Galli cantu quicquam praeſcribat, ita praemonet: *Clerus, & populus lavatum exeant* [1]. Atque hac teſtium clariſſimorum copia id, quod erat propoſitum, cumulate me confeciſſe confido, ut nemini eſſe dubium poſſit, balneorum lavationem inter caeremonias, religioneſque publicas locum aliquando obtinuiſſe.

Interim Eccleſia Chriſti, divinae mentis interpres, deque omnium gentium ſalute jugiter ſollicita, hac etiam ſuper re populis egregie conſuluit, flagitiique occaſionem ab illis removere ſtuduit. Nam quia noverat infeſtiſſimum humani generis hoſtem, infernum veteratorem, cui mille nocendi artes, facile poſſe in thermis Chriſtianos ad turpitudinem impellere, jam uſque a primordiis balnea illis vetuit ἀνδρόγυνα, quae ab Epiphanio merito appellabantur διαβολικὸν στρατήγημα [2], ſejunctimque a mulieribus viros, & a viris mulieres lavari praecepit. Ac primo occurrit laudanda ſanctio illa inter *Conſtitutiones*, quae jamdudum *Apoſtolicarum* nomine donantur [3]; *lib.* I. *cap.* IX. περὶ τοῦ μὴ συλ-

1 *Pag.* 34. cum notis Prevotii. *Rhotomagi* 1679.

2 *Haereſ.* xxx. *num.* vii. Huic a Cyprianum adnecte, qui *de diſcipl. & habit. Virgin.* edit. Felli *Amſtelod.* 1700. ita moeſtiſſime conqueſtus eſt. *Quid vero quae promiſcuas balneas adeunt, quae oculis ad libidinem curioſis pudori, ac pudicitiae dicata corpora proſtituunt, quae quum viros, atque a viris nudae vident, & turpiter videntur, nonne ipſae illecebram vitiis praeſtant? Nonne ad corruptelam, & injuriam ſuam deſideria praeſentium ſollicitant, & invitant?*

3 De hujus libri aetate, auctoritateque ſaepe, & multum a viris doctis diſputatum, & quaeſitum plane novimus. Nec meus eſt omnium ſententias ponere, aut veterum opiniones defendere. Opportunum illud potius, ut recentiorum aliquot ſcriptorum indicemus judicia, quibus facile aſſentimur, ne inconſulto Conſtitutiones illas in dictorum fidem excitaſſe putemur. Johannes Philippus Baratterius ad calcem operis, *Diſquiſitio Chronologica de ſucceſſione antiquiſſima Epiſcop. Romanor. Ultrajecti* 1740. binas adjecit de Conſtitutionibus Apoſtolicis diſſertationes, ac in priori haec perſuadere inſtituit. Epocham primam Conſtitutionum a Concilio Trullano repetendam, quod Canon II. illarum meminerit; Epiphanio fuiſſe cognitas, & illius aevo ab haereticis minime corruptas; Arianiſmi ſuſpectas ab aliquibus immerito habitas, & cum doctrina PP. Ante-Nicaenorum conſpirare. A tempore Epiphanii nullo modo mutari potuiſſe, & Epiphanium exemplaria a noſtris neutiquam diverſa vidiſſe. Memorantur deinde a Baratterio loca Timothei, Anaſtaſii, Philoſtorgii, Socratis, Joh. Chryſoſtomi, Thomae Syri, Innocentii PP., Procli,

λούεσθαι γυναῖκα ἀνδράσιν, *quod mulier non debet cum viris lavare*; quam conraſis undique Patrum teſtimoniis copioſe illuſtrat Cotelerius [1]. Rurſus Concilium Laodicenum canone XXX. morem hunc perditiſſimum carpit, & a Chriſtifidelibus exulare jubet. Quum tamen ab hoc immani ſcelere ſevera illa juſſione plerique haud coerceri potuerint, Concilium Trullanum canone LXXVII. debitas crimini decrevit poenas, dirisque malis devovendos edixit, qui ſecus faxerint, nimirum Clericos ab albo amovendos, laicos vero Eccleſiae communicatione interdicendos; & in utroque Concilio promiſcua haec lavatio dicitur, *πρώτη κατάγνωσις παρὰ τοῖς ἔθνεσιν*, *potiſſima apud gentes condemnatio* [2]: quod quam recte, vereque uſurpatum fuerit, declarat Beveregius in *Συνοδικῷ*, ſive *Pandectis Canonum* [3]. Nihilominus, ſi Evagrio

est, aliorumque, quibus haec omnis oratio confirmetur; tandemque propoſita ab Viſſerio dubia refutantur. In altera vero diatribe hoc ſibi demonſtrandum ſumpſit Baratterius, Conſtitutiones II. a Chriſti adventu ſaeculo fuiſſe contextas ex variis Apoſtolorum ſcriptis, monumentiſque. Quod ut facilius evincat, teſtimonia recitat ſcriptorum ſaeculi III. quibus illae commendantur, docetque nulla in illis ſaeculi IV. recentiorumque rituum veſtigia deprehendi. Sed quod ad hujus libri fontes ſpectat, ad eamdem ſententiam acceſſit ſcriptor operis, *Hiſtoire du Droit Canonique, & du governement de l' Egliſe, a Londres*, (Pariſiis). Licet multa ille nequiter ſcribat ad Eccleſiae leges elevandas, aetatemque hujus collectionis malitioſe diſſimulet, ne vanis, perverſiſque ſuis opinionibus fidem deroget, & quod dicitur, aſciam ſibi cruribus illidat; attamen non imprudenter mihi feciſſe viſus eſt, quum *tom. II. chapit. II. des Canons, & Conſtitutions attribuées aux Apôtres* dixit, ſanctiones illas ex peculiaribus Eccleſiarum codicibus, & ritualibus libris, quibus vetus diſciplina continebatur, fuiſſe decerptas. Sed celeberrimae cujuſdam in Italia Academiae Profeſſor rerum divinarum ſcientia imprimis abundans, quum aſcititio nomine larvatus hoc ipſum verſaret argumentum, Conſtitutiones Apoſt. vix ante ſaeculum V. fuiſſe deſcriptas contendit. *Ragionamento intorno al divieto delle opere ſervili ne' di Feſtivi Taranto* (Lucae apud Benedinium) *preſſo gli Eredi di F. Moſca* 1750. A ſummo Theologo, cujus ceteroquin auctoritati plurimum ſemper tribuemus, liceat nunc diſſentire, quandoquidem, ſi quid recte intelligimus, duplici illius argumentationi, quaedam ſubeſt ambiguitas, qua ſublata, tota concluſio fortaſſe nutare videbitur.

1 *Patres Apoſtolici tom. II. not. ad Conſtit. Ap. Pariſiis* 1672.

2 *Edit. Iohan. Zonarae Pariſiis* 1618.

3 *Tom. II. not. ad Concil. Trull. p.* 161. *Oxonii* 1672. Feminarum lavationes etiam apud Graecos antiquitus fuiſſe diſtinctas conjicio ex Heſiodi loco *in fin. Oper. & dier.* I. Quod ſi apud eos, Homero teſte, hoſpitii lege cautum erat, ut puellae ancillares, imo & heriles in balneo totum corpus hoſpitibus lavarent. A. M. Riccius *Diſſertationum Homericarum* LII. *Florentiae* 1740. id a turpitudinis nota pro illorum temporum ingenio, ac moribus vindicare ſatagit. Verum quum poſito pudore, mulieres promiſcuis balneis uſae ſunt, non modo cenſoria lex id probro dedit, ſed etiam ſub repudii, & dotis amiſſionis poena compeſcuit. In *L. fin. tit. de repud.* Conſule etiam *Novell.* XX. Juſtiniani. Certe ab Imperatoribus, qui caſtigatiores fuere, viros a feminis diſtincte lavari ſancitum eſt, quemadmodum ab Hadriano, M. Aurelio, Severo Alex. teſtibus Spartiano, Lampridio, & Capitolino. Effectum deinde eſt, ut

grio fides [1], hanc legem interdum inſtaurare opus fuit adverſus Monachos Palaeſtinos, qui illi non ſemel obtrectarunt. Re quidem vera rogata iterum ea lex eſt in *Statutis* S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini apud Dacherium, ubi execrationibus devincitur, ſacriſque interdicitur qui *balneum cum mulieribus celebrat* [2]. Atque hanc depravationis, foeditatiſque labem ab his potiſſimum, qui in ſortem, & hereditatem Dei admiſſi erant, eliminandam majores noſtri curarunt poenarum praeſcriptione. Nihil ad hanc rem afferri poteſt luculentius ea lege, quam Edmundus Martene, & Vrſinus Durandus tomo VII. Collectaneorum titulo: *Judicia Sacerdotalia de criminibus n.*XLVII.ediderunt, quae ſic habet: *Si quis in balneo ſe cum mulieribus lavare praeſumpſerit, emendatione pollicita, uno anno poeniteat, & ulterius non praeſumat*. Mitius tamen in eos, qui hac in noxa eſſent, animadvertit *Poenitentiale* Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, a quo nonniſi trium dierum poenitentia imponitur [3].

ut balneae aliquae in feminarum dumtaxat uſum exſtruerentur, quales Romae Agrippinae, Olympiadis in Suburra, & quas Ampelidem, & Priſcillam trans Tiberim habuiſſe teſtatur Victor, quales Beneventi fuiſſe muriſos docet titulus a Cl. optimoque amico Joh. De Vita eruditiſſime explicatus. (*Antiquit. Benevent. Theſaur. Diſſ.* X. *Romae* 1754.), quales & Fabrettus memorat (*Inſcript. Domeſt.* DCXLVI. *pag.* 242. *Romae* 1683.) a M. Valerio M. F. Aedili Dictatore, & Praefecto Juventutis reſtitutas. Exſtat de balneis ἀνδρογύνοις epigramma Paulli Silentiarii latine redditum ab Angelo Bargaeo in libro: *De publicorum, & privator. aedificior. everſoribus*. *Florentiae* 1689.

1 *Hiſtor. lib.* I. *cap.* XXI. mem. edit. Scriptor. H. E.

2 *Tom.* IX. *num.* XXII. *Pariſiis* 1663.

3 *Tom.* I. *capit.* XXX. *Pariſiis* 1677.

CAPVT TERTIVM.

Lex Theodoſii de balneis, quae ſunt in peribolo Eccleſiarum. Qui illorum uſus. De balneis a Conſtantino M. pro Sacrorum Miniſtris juxta aedem SS. Apoſtolorum excitatis. De his, quae Pontifices Maximi Hilarus, Hadrianus I., & Damaſus in eumdem finem aedificari, aut reſtitui curarunt. De balneo prope Paracellarium Lateranenſe a PP. Gregorio IV. renovato.

THEODOSIVS Imperator pius, felix, auguſtus cum multa ad optimam vitae, ac officiorum omnium ſocietatem inter homines devinciendam, multaque ad imperii non minus, quam ad religionis dignitatem tuendam ſapienter cavit, tum illud commode, & decenter ſanxit, ut quae templis adjacerent, loca, jure ſancto Aſyli donarentur. Praeſtat ipſa legis verba ex codice Theodoſiano lib. IX. tit. XLV. *de his, qui ad Eccleſias confugiunt*, hoc loco exſcribere. *Vt inter templi, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica, & januas primas Eccleſiae, quidquid fuerit interjacens, ſive in cellulis, ſive in domibus, hortulis, BALNEIS, areis, atque porticibus confugias, interioris templi vice tueatur*. Monitore hic profecto non eſt opus, ut animadvertas, Theodoſium non de conchis, vaſculis, aliiſque minoribus lavacris loqui, ſed de aliquo aedificio, quo quis ſe recipere, eoque non ſolum tamquam perfugio, ſed velut domo uti poſſet. Itaque intra templi ſepta, ubi cellulae, ubi domus, ubi hortuli, ibidem & BALNEA fabricabantur. Horum uſum ſi inquiras, quid quaeſo aliud cogitationi ſuccurret, niſi in unum, eumdemque finem balnea fuiſſe exſtructa, in quem reliqua circumpoſita aedificia, nempe in commodum illorum, qui ſacro fungebantur miniſterio, rebuſque divinis deſerviebant? Quod quam verum ſit, facile colligi poteſt ex Euſebii loco in vita Conſtantini, ubi poſtquam templum in honorem SS. Apoſtolorum a piiſſimo Imperatore Byzantii excitatum deſcripſit, ita ſubdit: Ἀμφὶ δὲ τοῦτον νεὼν αἴθειος

ἐὼ

ὑπὸ αὐλὴ παμμεγέθης, εἰς ἀέρα καθαρὸν ἀναπεπταμένη. ἐν τετραπλεύρῳ δὲ ταύτῃ στοαὶ διέτριχον, μέσον αὐτῷ νεῷ τὸ ἄθριον ἀπολαμβάνουσαι· οἶκοί τε βασίλειοι ταῖς στοαῖς, ΛΟΥΤΡΑ *τε, καὶ ἀνακαμπτήρια παρεξετείνετο, ἀλλὰ τε πλεῖστα καταγώγια* ΤΟΙΣ ΤΟΥ ΤΟΠΟΥ ΦΡΟΥΡΟΙΣ ΕΠΙΤΗΔΕΙΩΣ *εἰργασμένα. Circa ipſum templum ingens erat area libero, ac patente deſuper caelo. Cujus ad quator latera porticus ſibi invicem conjunctae, quae aream, ipſumque templum circumcingebant. Erant inſuper eiſdem porticibus in longum incluſa praeter Baſilicas, BALNEA, diverſoria, & alia plurima habitacula IN VSVM EORVM, QVI LOCVM CVSTODIEBANT*[1]. Quum autem Sacris tanta adhiberetur reverentia ab his, qui ad illa conficienda accedebant, ne in dubium quidem cadere mihi poſſe videtur, balnea haec extimo templi ambitu concluſa, ad id potiſſimum fuiſſe comparata, ut Miniſtri rite, ſanctéque ad rem divinam, praegreſſa lotione, praepararentur.

Verum quod a Conſtantino in florentiſſima illa Orientalis imperii ſede factum diximus, paſſim a Romanis Pontificibus pro paſtoralis officii ſollicitudine praeſtitum legimus in urbe principe, arceque religionis. Nullius porro ſcriptoris tanta ratio haberi ſolet in hiſtoria Pontificum, quanta Anaſtaſii Bibliothecarii, qui quamvis multa peccarit, illorum tamen munificentiam, pias largitiones, aedificia, donaria diligentiſſime perſequitur. Is itaque de S. Hilaro, ſic ſcribit; *hic fecit BALNEVM, & praetorium Sancti Stephani*[2]. Item de S. Symmacho: *fecit Baſilicam S. Pancratii, ubi & fecit arcum argenteum, qui penſat libras* XV. *Fecit autem IN EODEM LOCO BALNEVM*[3]. Rurſus de Hadriano I. *Conſtruxit, & aedificavit ibidem* (nempe ad Baſilicam S. Petri) *noviter turrim mirae pulchritudinis decoratam coherenti porticu, quae deſcendit ad BALNEVM*[4]. Iterum audienda, quae profert in vita Beatiſſimi Papae Damaſi: *Poſſeſſionem Antonianam in territorio Caſinenſi praeſtantem ſolidos* CIII. *BALNEVM juxta Titulum praeſtans ſolidos ſeptem, & viginti*[5]. Non ſum ego

1 *Lib.* IV. *cap.* LIX.

2 *In vit. illius ſect.* LXXI. edit. Romanae 1718. *& ſeq.*

3 *Sect.* LXXIX.

4 *Sect.* CCCXIX.

5 *Sect.* LIV.

ego neſcius, Blanchinium, virum ampliſſimum, doctiſſimumque, quo loco meminit Thermarum Damaſianarum aſſerere, eas poſitas fuiſſe *juxta Titulos*, ut inſervirent ad Baptiſmum per immerſionem, quemadmodum aevi illius mos erat, peragendum. Sed venia mihi detur peto, precorque, ſi Blanchinii ſententiae ſuffragio meo haud conſentio. Jam illud a Vignolio bene, ac ſapienter obſervatum eſt, aquarum erogationes pro baptizandis Cathecumenis, aut infantibus *Fontes ad Baptiſterium*, *Fontes Baptiſmales*[2] fuiſſe appellatas, vel quemadmodum nos ipſi alias docuimus[3], *Natatoria* & *Piſcinas*, numquam vero *Balnea*; propterea a balneis uſu prorſus diſſimili illas diſtingui, certiſſimum videtur. Praeterea a Blanchinio recedere me jubent verba ipſius Anaſtaſii in vita Hadriani I. *Dum vero forma, quae Claudia vocatur, per annorum ſpatia demolita eſſe videbatur, unde & in BALNEIS Lateranenſibus de ipſa aqua lavare ſolebat, & in Baptiſterio Eccleſiae Salvatoris D. N. J. C., & in plures Eccleſias in die ſancto Paſchae abluere ſolebat*[4]. Certe tota hac Anaſtaſii oratione aperte declaratur, aliud fuiſſe *Balnea*, aliud *Baptiſteria*; illa pro religioſa quadam lotione, haec vero pro Sacramento regenerationis inſtituta; ideoque Hadrianum in duo prorſus diverſa aedificia aquam iterum advehi curaſſe, in quorum altero ſe ipſum, ſordeſque corporis lavaret, in altero culpam primigeniam ex aliorum animis dilueret.

Praeclariſſimis hiſce Pontificibus adjungendus Gregorius PP. Quartus, de quo idem Anaſtaſius ita refert. *Renovavit imo & BALNEVM, quod juxta Paracellarium ſitum eſt, a fundamentis per totum, & majoribus, ceteriſque placabilibus operibus decoravit. Nam prius vetuſtatis longitudine caſurum eſſe videbatur, niſi mens, vel optimum tanti Pontificis ſtudium illud ad priorem ſtatum reducere decreviſſet*[1]. Hoc igitur ab hiſtorico laudi datur Gregorio, quod quum animum intendiſſet ſuum, ut omnia aedificia, quae erant in Patriarchio Lateranenſi, reſtaurarentur, aedes ſacris peragendis in amplio-

1 *Not. in Anaſtaſ. Romae an.* 1724.

2 *Antiquitat. Chriſtian. Diſſert.* II. quae eſt *de Baptiſteriis. Romae* 1755.

3 *Sect.* CCCXXXIII.

4 *Sect.* CCCLXXV.

pliorem formam redigerentur, Triclinium, in quo Natali Chriſti Domini, & Paſchate Cleri optimates cum Pontifice convivari ſolebant, Paracellarium, ubi Concilia quandoque cogebantur [1], opere, cultuque ſplendidiora evaderent, *Balneum* minime praetermiſerit, & quoniam temporum injuria fatiſcere viderat, eodem prorſus ſtudio refecerit, omnibuſque decoraverit ornamentis. A quo tamen Anaſtaſii teſtimonio antequam digrediar, duo juverit obſervaſſe, ex quibus longe evidentius conficitur, quod erat demonſtrandum. Primo quidem locum, juxta quem balneum exſtructum dicitur: nam quum eſſet is religione ſanctiſſimus, & Pontifici, ejuſque adminiſtris excipiendis deſtinatus, quoties in ſollemnibus anni diebus ad ſacras caeremonias perficiendas accederent, qui quaeſo eſſe poterat hujus balnei uſus, niſi, ut illi ad myſteria celebranda ſe opportuna lavatione compararent? Praeterea tantam ne curam, cogitationemque in eo Gregorius poſuiſſet, ut balneum hoc renovaret, tantum ne impenſae huic exornando, perpoliendoque contuliſſet, ſi quod illic agebatur, ad religionis diſciplinam, majeſtatemque minime pertinuiſſet? Sed nihil attinet de re tam aperta plura requirere [2].

CA-

1 Vide quae & de *Triclino* ſcripſere Caeſar Card. Raſponſus *de Baſil. & Patriarchio Lateranenſi Romae* 1656. & Nicolaus Alemannus *de Lateranenſibus Parietinis Rom.* 1625. iterum curante Cl. Bottario 1756.

2 Adde, ſi quid eſt opus, ex eodem Anaſtaſio balnea a PP. Innocentio, Xiſto III. Symmacho juxta Baſilicas a fundamentis conſtructa &c.

CAPVT QVARTVM.

Balnei ad clivum Coelium a Papa Formoſo inſtaurati orthographia nunc primum in lucem profertur. Ciampinii de hujus conclavii uſu conjecturae repudiantur. Num Crux *antis aptata certum ſit Templi indicium. Theodoſii lex de fanis, & delubris purgandis. Cur Templa* Tituli *nuncupata. Aedificium pro lotionibus fuiſſe, proximi aquaeductus indicant. Quare in abſidis pictura Formoſi imago deleta. Figuram barbaricam non eſſe Guidonis, nec Arnulphi, ſed veroſimilius Michaelis Bulgarorum Regis. De SS. Laurentii, & Hippolyti imaginibus divinatio. Geſta a Formoſo apud Bulgaros. Ad ea picturam omnem referri oportere.*

SI aeterna haec urbs, quae olim Tullio domicilium virtutis, imperii, ac dignitatis dicebatur, aedificiorum pulchritudine, elegantia, ſplendore ita ſuperbiebat, ut his etiam ſuas oſtentaret opes, ſuam amplitudinem, ac magnificentiam; diſpulſo tandem inanium Deorum cultu, ſuperſtitioneque deleta, venerabilibus templis, ſacriſque receſſibus gloriari caepit, ex quorum veſtigiis, ac reliquiis ſi minus Chriſtianae Reip. opulentiam, certe majorum noſtrorum ſuſpicimus pietatem, eorumque adſpectu, quo ſtudio ſanctiſſimae Religionis caeremoniae perficerentur, addiſcimus. Atque utinam adhuc aetatem ferrent balnea illa, quae Romae ab optimis, maximiſque Pontificibus exſtructa, reſtaurataque nuper commemoravimus! Liceret ſiquidem de illorum forma, uſuque copioſius diſputare. Verum etſi illa ad unum omnia, qua temporum injuria, qua rerum viciſſitudine, ac varietate penitus deperierint; commodum, fortunateque accidit, ut de balnei Formoſi Papae deſcriptione a Johanne Ciampinio exarata, inque ſecretiori Vaticano archivo adſervata moneret me Cl. Joſeph Garampius, nobiliſſimi illius Chartophilacii praefectus, mihique & veteri amicitia, & ſtudiorum ſimilitudine conjunctiſſimus. Quumque appri-

apprime intelligerem, nullo prorſus alio monumento poſſe tractationem auſpicatius provehi, precibus egi apud B. M. Pont. Benedictvm XIV., ut illius permiſſu picturae apographum nanciſcerer, quod in hujus libri fronte a caelatore diligentiſſime redditum lectorum oculis objicio. Quo autem ſitu balneum exſtiterit, qua ratione detectum fuerit, quid referant imagines, quibus illius concameratio exornabatur, diſtincte, ordinateque dicam. Itaque quum Ciampinius ſolers antiquitatum inveſtigator, vertente Septembri anno cIↃIↃCLXXXVIII. in ea inambularet via, quae amphitheatrum Flavium a monte Coelio diſterminat, quumque ſpecum in ipſius montis crepidinibus, opere reticulato adhuc obductis, defoſſum obſervaſſet, unde lateres, imbriceſque antiqui novis aedibus fabricandis exportabantur, nihil habuit potius, quam ut ſubterraneum illum luſtraret locum. Non longe ab ingreſſu lateritias ſtructuras, januamque arcuatam hinc *Crucis*, illinc ſtellae emblemate diſtinctam vidit, ex quo Chriſtianum monumentum illic deliteſcere ſtatim eſt auguratus: nec ſpem feſellit exitus. Dextrorſum patebat aditus in cubiculum longitudinis palmorum XXX., latitudinis XIII., altitudinis vero a pavimento ad teſtudinem palm. XV. Dimotis terrae, materiaeque acervis, quibus locus impediebatur, adductiſque facibus, conſpicuae fuerunt imagines, quibus apſis primaria conveſtiebatur. Et quod rei caput eſt, duplex patuit in pariete orificium externorum aquaeductuum, quibus in cubiculum aqua tranſmitteretur: quibus indiciis ſatis aperte intelligebatur, totum aedificium pro lavationibus ſic fuiſſe comparatum. Accedit ipſa tuborum forma, ac poſitio, quorum anguſtior calidae, latior vero frigidae aquae devehendae pro veteri more videtur fuiſſe inſtructus. Haec a Ciampinio tanti merito habita ſunt, ut ad ea viſenda, contemplandaque viros antiquitatum bene peritos acciverit, Raphaelem Fabrettum, Philippum a Turre, Franciſcum Blanchinium, Philippum Bonarrotium, Vincentium Gravinam, &, qui tum Romae erat, doctiſſimum Gotofredum Leibnitzium.

Hujus aedificii uſum ipſo in limine ſubſiſtens Ciampinius, viſaque in poſtibus Cruce, ſe deprehendiſſe exiſtimavit. *Conijcio*, inquit ille, *Eccleſiae januam fuiſſe, ac profanum locum in Chriſtianorum uſum converſum in tribus primis Eccleſiae ſaeculis, quando Imperatorum furor contra religionem Chriſtianam debacchabatur, & Crucem illam aliud non fuiſſe, quam ſignum alicui loco inſcriptum, ad ſignificandum ibi fuiſſe Eccleſiam; illudque ſignum titulus appellatus fuit, unde Eccleſiae tituli nomen deſumpſere.* [1] Verum quominus hanc amplexer conjecturam plura me removent, atque dehortantur. Non equidem repugno, veteribus Chriſtianis uſitatum, ut quum domus aliqua divino cultui accenſebatur, ſanctiſſimo Crucis vexillo primum expiata, hoc ipſo humanae ſalutis tropaeo inſigniretur. Eo reſpicit poſtrema lex de Paganis, ſacrificiis, & templis lata a Theodoſio Juniore XIX. Kal. Decembr. Coſs. Theod. XII. Valent. IV. in haec verba. *Omnibus ſceleratae mentis paganae execrandis hoſtiarum immolationibus, damnandiſque ſacrificiis, ceteriſque antiquarum ſanctionum auctoritate prohibitis interdicimus: cunctaque eorum fana, templa, delubra, ſi qua etiam nunc reſtant integra, praecepto magiſtratuum deſtrui, conlocationeque venerandae Chriſtianae religionis ſigni expiari praecipimus.* Quem unum morem ſententia multo aptiore complexus eſt ſcriptor commentariorum in Epiſtolas Paulli, quae S. Ambroſio ſolent adjudicari. Nam ubi Apoſtolus ad Coloſſenſes ſcribens cap. IV. ait: *ſalutate Fratres, qui ſunt Laodiceae, & Nympham, & , quae in domo ejus eſt, Eccleſiam*, ſubdit de hac ſanctiſſimi exempli muliere: *tam enim devota videtur fuiſſe, ut omnis domus ejus ſigno titulata eſſet Crucis*, hoc eſt in Eccleſiam converſa. Nihilominus id primo obſervari volo, TITVLI denominationem non a Cruce, ſed aliunde a pleriſque accerſiri, quemadmodum demonſtratum eſt a Praeſule piiſſimo, rerumque imprimis

a *In Diſſertatione mss.* ipſius Ciampinii in eodem Archivo adſervata, nobiſque ab erudito ejuſdem Praefecto P. M. permiſſu communicata. Balneum pingi, caelarique fecimus quale ab eodem deſcribitur; nam in illius ſchemare ſola frons, aditus, & apſis occurrebat.

mis ſacrarum ſcientiſſimo Nicolao Antonello [1]. Scilicet alii repetunt ex Martyrum ſepulchris, ac conditoriis, quae & *tituli* appellabantur, alii ex titulis fiſcalibus, quibus rei cuipiam appoſitis, ea res in patrimonium Principis cenſebatur devoluta. Altaſerra vero ſic vocis illius originationem explicat. *Ideo Eccleſiae dicebantur Tituli, quia quum Presbyteri ordinarentur, ordinatio fiebat ſub eorum titulo, ideſt adſcriptione certae Eccleſiae, in qua ordinatus Titulatus dicebatur.* [2] Sed demus hoc, nihil enim ſententiae noſtrae adverſatur. Ergo ne ſolis Oratoriis, ſacellis, templiſve Crux aptabatur? Cur non & balneo, quod religionis cauſſa, quaſique ex praeſcripto Chriſtiani adibant, quodque illuſtrior Chriſtianae plebis portio Clerus frequentabat ſacra facturus? Annon ex his, quae ſuperius retulimus, ſatis conſtat, id genus balnea velut loca ſacra fuiſſe habita? Praeterea nec ſtructurae, nec ſuperadditi operis ratio ea eſt, ut ſaeculo a Chriſti adventu ſecundo, aut tertio cubiculum credatur aedificatum. Atque haec altera cauſa eſt, quamobrem a Ciampinio diſcedam, qui quum picturam temporibus Formoſi Papae tholo inductam fateatur, haud ſatis intelligo, eccur, ſin minus totum aedificium, ſaltem Crucem antis adpoſitam ad eadem tempora non referat. Tantam ne in hoc ſacerrimo ſymbolo potuit ille animadvertere vetuſtatem, ut illius ſcalpturam ingenti adeo annorum ſpatio picturam praeceſſiſſe, tuto decerneret?

Neque illud veroſimile eſt, Formoſi Papae temporibus, quibus Eccleſia tanta fruebatur tranquillitate, ac pace, Chriſtianos latibulum illud, in latere exeſi montis poſitum, ad precationes peragendas, & ad Dominicam caenam manducandam quaeſiviſſe, quum jam tot in urbe eſſent conſpicuae baſilicae, quotidieque novae dedicarentur. Nec in ea ſacrarum aedium copia, quae ſaeculo nono Romae erant, prudens quiſvis ſibi perſuadebit, Pontificem ad litandum Deo vivo, & vero conclavium delegiſſe ſitu, uligine, anguſtia

 incom-

1 *De Titulis, quos s. Evariſtus Romanis Presbyteris diſtribuit Diſſertatio. Rom.1725.*

2 *Not. in Anaſtaſium. Pariſiis 1680.*

incommodum, eamque ob unam cauſſam picturis, ornamentiſque decoraſſe. Alius itaque videtur fuiſſe hujuſce aedificii uſus, atque ex ipſius forma, ceteriſque adjunctis facile intelligi, deprehendique poterit, Formoſum ſuorum praedeceſſorum exemplo ſacrum balneum ibi paraſſe, ubi aquae jam ab antiquis collectae, veteriſque alicujus fabricae rudera aptiſſimum ad id ſuppeditabant locum. Re quidem vera non procul ab eo cubiculo erat caſtellum aquae Claudiae, Coelioque adjacebant ductus Neroniani, quibus aqua hinc in Caeſarum palatium, illinc in thermas Antonianas ſubvehebatur, quemadmodum a Lucio Fauno [1], Flaminio Vacca, [2] Nardinio, [3] Marliano, [4] demumque a Rondinino [5] eſt obſervatum: ac multo majora, quam nunc, labente nono ſaeculo ſupererant ad clivi illius radices antiqui operis parietinae. Nactus itaque Formoſus locum & jugi aquarum tranſitu, ad id, quod volebat idoneum, & facili murorum, teſtudiniſque inſtauratione in Chriſtianum morem, uſumque parabilem, hic Clero, populoque ſuo id genus balnei libentius compoſuit, quod ea ab aliis Pontificibus non ſemel prope ad aquarum latices ſciverat fuiſſe extructa.

Uſu igitur hujus aedificii evidenter demonſtrato, ad univerſam teſtudinis picturam explicandam progredior. Ac primo quis dubitet, in inferiori abſidis parte, ubi tectorio detracto, nudi apparent lateres, depictam fuiſſe ipſius Papae Formoſi effigiem? Nonne id manifeſte prodit ſuperſcriptus, & adhuc conſpicuus titulus FORMOSV...., qui lacunam excipit? Neque imaginem illius aetatis tractu, temporumque injuria deletam credo, ſed potius a Romano populo poſt Formoſi obitum per ſummam contumeliam, perque veſanam rabiem fuiſſe obliteratam exiſtimaverim. Nam neque novum, & inſolens Romae erat, ut Principum, cum quibus Senatus, & plebs, aut imperii conſortes ſimultatem gerebant,

1 *De Antiquitatibus Urbis Romae. Venetiis* 1549.

2 *Epiſtola* apud Montfauconium *in Diario Italico. Pariſiis* 1702.

3 *Roma Antica lib.* v. *cap.* v. *ivi* 1666.

4 *Typograph. Romae lib.* II. *cap.* x. in Theſaur. Graevii *tom.* III.

5 *De ss. Iohanne & Paulo cap.* VII. *Romae* 1707.

bant, illis demortuis, ſtatuae everterentur, delerentur imagines, nomina e publicis monumentis eraderentur: quam unam injuriam memoriae Domitiani, & Getae fuiſſe irrogatam, apud Suetonium, [1] & Dionem [2] legimus. Porro ſcitiſſima ſunt ex Luitprando Cremonenſi, [3] Reginone Prumienſi, [4] Hermanno Contracto, [5] Sigeberto Gemblacenſi [6], aliiſque quaenam ad perenne Formoſi dedecus, & dehoneſtamentum praeſtiterit Stephanus VII. ope, & patrocinio Adalberti, potentiſſimi Tuſciae Marchionis anno DCCCXCVII. in Pontificatum intruſus. [7] Quid igitur dictu proclivius, quam aut ipſum Stephanum, poſtquam omnia Formoſi acta, leges, *Ordinationes* [8] reſcidit, abrogavit, irritas fecit, atque in illius cadaver deſaeviit, [9] imagines etiam expungi juſſiſſe? Vel

1 *In Domitiano cap.* XXIII. Burmanni. *Amſtelod.* 1736.

2 *In excerptis hiſtoricis* variorum Henrici Valeſii. *Excerpt. Dionyſ. p.* 747. *Pariſ.* 1634. Vide quae pridem de eraſo M. Antonii nomine adnotavimus in libro, *Ad nummos Conſulares M. A. Animadverſiones Philologicae pag.* 87. *Romae* 1757.

3 *Rerum ſuo tempore geſtarum. Lib.* I. *cap.* VIII. inter ſcriptores veteres rerum Germanicar. *Hanoviae* 1619.

4 *In Chronographia ad an.* 896. Inter Scriptores rerum German. Piſtorii. *Tom.* I. *Hanoviae* 1613.

5 *Chronic. ad eumd. an.* Piſtor.

6 *Chronic. ubi ſup.*

7 V. Baronium ad hunc ipſum annum, a quo ſapienter animadverſum, Pontificum electiones per vim, & metum extortas, Clerum deinde, pacatis rebus, confirmaſſe, ſatius exiſtimantem, tolerandos Pontifices qualeſcumque eſſent, quam Eccleſiam ſchiſmate conſcindendam.

8 Scitiſſima de Formoſi *Ordinationibus* controverſia, quarum cauſſam, defenſionemque vix ab illius obitu ſuſcepit Auxilius, non Francus, ſed Italus Presbyter, ut Caſimiro Oudino in *Commentar. de Scriptorib. Eccleſ. Lipſiae* 1722. merito viſum eſt. Hujus Presbyteri apologeticos libros integros habes apud Johannem Morinum *de Sacris Ordinationibus pag.* 342. *edit. Pariſiis* 1655. Luitprando narranti, Stephanum ordinatos a Formoſo gradu depoſitos, *iterum ordinaſſe*, non aſſentimur; nam praeterquam quod id Sigebertus negat, Romana Synodus, Johanne IX. Pontifice habita an. DCCCCIV; qua Stephani acta contra Formoſum reſciſſa ſunt, ſic ſtatuit cap. IV. *Epiſcopi igitur, ſeu Presbytero, atque Diaconi, necnon & Subdiaconi, ceterique alterius ordinis ſanctae Sedis apoſtolicae, qui ab eodem venerando Papa Formoſo canonice conſecrati, & pro quorumdam libitu temere dejecti ſunt, in proprios ordines, & gradus communi ſanctae Synodi conſultu reducimus.* (*Labbe Tom.* XI.) Si ergo in ſuos ordines reducti, reſtitutique, illos Stephanus ex his dejecerat, officioque interdixerat, non utique rurſus conſecrarat. Plura Franciſcus Hallier *de ſacris electionibus, & ordinationibus part.* II. *ſect.* III. *cap.* 2. *Lutetiae* 1636. Gaſpar Juvenin *Commentar hiſtor. dogmat. de Sacramentis diſſert.* 8. *de Sacrament. Ordin. Lugduni* 1696. Ludovicus Dus Menil *Doctrina, & diſciplina Eccleſiae ipſis verbis veter. monumentor. expoſita. Tom.* III. *lib.* XLII. §. I. *Coloniae* 1730.

9 Tantum facinus inficiatur Panvinius in annotationibus ad Platinam, *de Vit. Pontif. Lovanii* 1572. ſed contra hiſtoricorum fidem, inveteratamque in hominum animis ſententiam. An vero Stephanus probabilem aliquam ita ſaeviendi cauſſam habuerit, vide Mabillonium *Praefat. ad ſaecul.* V. *Benedictin. Pariſiis* 1706. Natalem Alexandrum *Hiſtor;*

Vel populum adhuc memorem calamitatum, quas in Vrbis obſidione ab Arnulpho perpeſſus fuerat, qui eam, hortante Formoſo, vi occuparat, odio percitum effigiem illius e balnei teſtudine rabioſe dejeciſſe? Nomen vero, ut opinor, de induſtria deletum nequaquam eſt, ut qui in pariete deturbatam conſpicerent picturam, noſſent, cui tanta infamiae nota illata, irrogataque fuiſſet.

Picta e regione eſt ad ipſius Servatoris JESU CHRISTI pedes barbarica hominis figura, lacerna, ſive ſago in humeros injecto laxe defluente, nullaque fibula contracto induti, veſte vero reticulata opere textili, gladiumque *Pannonicum*, potius quam volumen in ſcapum convolutum (ut Ciampinio placet) dextera manu gerentis. Illud ſtatim menti ſuccurrit cogitandum, effigiem eſſe vel GUIDONIS Spoleti Ducis, vel ARNULPHI Germaniae Regis, quos Formoſus annis 892. & 896, imperatoria corona Romae donavit: [1] copulatas enim videmus in Chriſtianis monumentis Pontificum, & Imperatorum imagines, quos ſingularis animorum conſenſio, aut collata mutuo beneficia arctiori foedere devinxerant. Verum quominus huic indulgeam conjecturae, tribus potiſſimum cauſſis prohibeor. Ac primo nulla in hac pictura oris, vultuſque lineamenta deprehendo ſive Guidonis, ſive Arnulphi, quorum faciem aliam prorſus, longeque ab hac diſſimilem fuiſſe, ſuperſtites adhuc utriuſque Imperatoris nummi manifeſto patefaciunt. Abeſt praeterea ab hac imagine quodcumque ſummae, praeſtantiſſimaeque dignitatis inſigne, quod in nummis conſtanter occurrit. Poſtremo repugnat imaginum collocatio; dexterum ſiquidem Jeſu Chriſti latus tenet Imperator, laevum occupat Pontifex, quos oppoſito prorſus ſitu pingi fas erat. Quamvis enim receptiſ-

Hiſtor. Eccleſ. Saec. IX. & X. *cap.* I. *art.* XIV. *Tom.* VI. *Pariſiis* 1714. Licet de ea re graviter ingemuerit Eccleſia, oborta tamen ſcandala, & honorum vituperationes exaggerat Albertus Krantzius *Hiſtor. Eccl. lib.* II. *Francofurti* 1590. Perperam etiam exinde probare nititur, Pontifices in rebus ad fidem pertinentibus falli, decipi, errare, ſcriptor quidam damnati nominis, *Hiſtoire des Papes Tom.* II. *Vie d' Etienne* VII. *à la Haye* 1732. quum nulla *Fidei*, ſed puta *facti* quaeſtio hic occurrat.

1 V. Luitprandum *ubi ſupra*, ac etiam Flodoardum *in Chronico* inter Scriptores Francicos Ducheſnii *T.* II. *Lutetiae* 1636.

receptiſſima haec praeſcriptio, ut qui nomine eminerent, officioque praecellerent, dextrorſum ſtantes effingerentur, artificum oſcitantia, & ignorantia nonnumquam ſit perturbata, [1] ne in dubium quidem cadere poteſt, dexteram laeva digniorem, potioremque ſemper fuiſſe habitam; [2] nec dictu credibile eſt, in opere Pontificis juſſu, atque ad illius memoriam perennandam depicto, hoc honoris *ἐπίσημον* fuiſſe neglectum. Annon luculentiſſimum, recenſque ad ipſius Coelii dorſum pictori ſuppetebat exemplum in Triclinio Leoniano, ubi Petri, & Leonis PP. imagines ad dexteram, Conſtantini vero, & Caroli M. Impp. ad laevam conſtitutae viſuntur? Alium igitur oportet propoſitum fuiſſe artifici *σκόπον*, aliud eſſe picturae argumentum: ac, quantum ego conijcio, memorabile, & egregium Formoſi facinus, antequam Pontifex eſſet dictus, hic repraeſentari opinor. Et ſane, cum multa ſtrenue geſſerit, dum Portuenſem Epiſcopatum teneret, tum illud potiſſimum in illius laude ponitur ab Anaſtaſio [3], quod ad *Bulgaros* a Nicolao I. Legatus miſſus an. 866. gentem illam *barbaram*, *efferam*, *paganam*, *aquilonarem* [4], Ethnica ſuperſtitione imbutam magno numero ad Dei cultum traduxerit, Chriſtianis dogmatis, & inſtitutis expolierit, ſacro fonte ablueri, eamque Apoſtolicae Sedi *omnimoda ſubjectione* adjunxerit. Magnam eapropter iniit gratiam apud Michaelem Bulgarorum Regem, qui *Chriſtianitatis, & fidei ſanctae doctrinam agnoſcens meruit baptizari*; [5] ita ut in Sophiae, quae eſt Provinciae caput, imo & in univerſae gentis Archiepiſcopum fuerit cupidiſſime expetitus. Praeclare adeo de religione ob eam cauſſam promereri viſus eſt, ut nullus ferme extiterit illorum temporum ſcriptor, qui id cum laudis praefatione non com-

1 Multa hac ſuper re ex antiquis monumentis excepimus in noſtris *Antiquitatibus Chriſtianis Diſſert.* VI. *cap.* VIII. quum nobiliſſimum eburneum Triptychum Muſei Chriſtiani B. M. PP. BENEDICTI XIV. illuſtrandum ſuſcepimus.

2 Hanc ipſam ſpartam ejuſdem generis monumentorum teſtimonio exornavit Cl. Mamachius ingenio, & eruditione cum paucis conferendus, noſterque ex animo amicus, vereque benevolus. *Origin. & Antiquit. Chriſtian. Tom.* V. *lib.* IV. *cap.* II. §. III. *Romae* 1755.

3 *In Vit. Nicolai*.

4 V. Richardum Montacutium *ad Epiſtolas G. L. Photii ep.* I. *Londini* 1651.

5 Anaſtaſius *l. cit.*

commemorarit . Nec praetermiſit Flodoardus , qui Formoſi geſta verſibus etiam complexus eſt, deque eo cecinit.

Bulgaricae genti fidei qui ſemina ſparſit,
Delubra deſtruxit, populum coeleſtibus armis
Inſtruxit [1] . . . .

Huc itaque picturam ſpectare veroſimillimum duco , atque id mihi etiam portendunt imagines Petri , & Paulli utrinque adjunctae . Nam quum hi fuerint prima Eccleſiae lumina , primi Chriſtiani nominis ſatores , illorum effigies ſpectanda , colendaque neophytis , recenterque baptizatis contradebatur. Nec certe alia cauſſa facit, ut utriuſque Apoſtoli frequentiſſime occurrat imago [2] in poculis , vaſculis , calicibus , annulis , lucernis , picturis , templis , coemeteriis , ſepulchris veterum Chriſtianorum , niſi quia veluti divini cultus noviter invecti ſymbolum habebatur , & quaſi ſuſceptae fidei teſſera. Aptiſſimo igitur εἰκονισμῷ tradita Bulgaris religio ſignificatur . At quid, inquies, copulatae hic Beatorum Martyrum Laurentii , & Hippolyti imagines ad eum ferme modum pictae , quo in muſivo Baſilicae S. Laurentii in agro Verano, Pelagio II. Pontifice, exſtructo adhuc viſuntur [3]? Equidem quoniam aetate aequales exſtiterant , mutuaque charitate conjuncti , ac brevi dierum intervallo , inſpectante Romano populo , ad tortorem ambo rapti , atque adeo ejuſdem beatitatis,

1 Edidit Mabillonius *ſaecul. Benedict.* III. *parte* II. *Pariſiis* 1672. V. *Analectorum* ejuſdem *Tom.* IV. *Pariſiis* 1685.

2 V. Bonarrotium *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro pag.* 75. *Firenze* 1716.

3 Ciampinius *Vetera Monumenta tom.* II. *pag.* 102. *Romae* 1699. Non queo autem tacitus omnino praeterire duo Symbola hic Laurentio tributa, nimirum *Crucem haſtatam*, & *codicem Evangeliorum*, quibus Diaconi officium aptiſſime indicari, adnotavit illuſtris Eques Victorius rerum Chriſtianarum cognitione, & peritia abſolute inſtructus. *Diſſertat. Philologica pag.* 60. 88. *&c. Romae* 1751. Confer *Memorie di S. Lorenzo Martire* §. XI. *del culto &c. Roma* 1756. a religioſiſſimo, doctoque Congreg. Oratorii Presbytero collectas. Eodem habitu expreſſus eſt Laurentius in Codice membranacco Vallicellano annorum ſupra mille, cujus picturam in lucem eduxit mox laudatus Victorius *pag.* 89. Rurſus hoc duplici ſymbolo donatur Laurentii effigies ex teſſellis coloratis in abſide Baſilicae S. Mariae trans Tyberim, qualia apud Henſchenium, & Papebrochium in *Conatu Hiſtorico ad Catalog. Rom. Pont. part.* II. *p.* 8. *Antuerpiae* 1685. At Hippolytus tunicatus, ac paludatus, veſtibuſque acu pictis, tibialibus, calceis perornatur, quemadmodum nobilem decebat Militem.

beatitatis, immarceſcibiliſque coronae ſub idem tempus participes effecti, communem quemdam cultum, ſive templis utrique proxime aedificatis [1], ſive utriuſque nominibus eodem die in tabulis Eccleſiaſticis deſcriptis [2], adepti fuerant. Sed rurſus ajo, quorſum hic depicti? Sic interpretor. Quum eſſent illi duo antiquiſſimi, fortiſſimique Evangelii teſtes, qui illius doctrinam, ſanctitatemque capitis devotione Romae confeſſi fuerant, quibuſque Roma ſummopere gloriabatur [3], prudenter Formoſus Romanae Sedis Legatus cum Petro, & Paullo eos effingi voluit, ut quorum ſanguine Jeſu Chriſti fides apud Quirites mirifice adoleverat, eorum numine, auſpicioque Bulgaris data agnoſceretur. Demum ad geſta Formoſi cum Michaele Rege picturam referri oportere indicio eſt, abeſſe ab inſcriptione PAPAE, vel EPISCOPI titulum, ſive compendiarias notas PP. vel EPS. quae in Muſivis, antiquiſque imaginibus Pontificum nomina jugiter ſolent comitari. Siqua vero a me litterarum D. N. S..... GE. in volumine,

1 Prope Baſilicam S. Laurentii in agro Verano erat Eccleſia S. Hippolyti, cujus veſtigia adhuc inter vineta extare dicebantur Venerabilis Baronii aetate. *Not. ad Martyrol.* XIII. *Auguſti Romae* 1630. Vide praeterea quae ad Adonem explicandum contulit Cl. Georgius. *Martyrol. pag.* 403. 404. *Romae* 1745.

2 Laurentium, & Hippolytum uno die cultos apud Graecos, argumento eſt *Martyrologium Metricum* Urbani God. Siberi. *Lipſiae* 1727. Utriuſque enim Paſſio, & laus conſignata IV. Idus Aug. Similiter in Menologio Baſilii *Part.* III. *pag.* 199. *Urbini* 1727. legere eſt die X. ejuſdem menſis Ἄθλησις τῶν ἁγίων Μαρτύρων Λαυρεντίου, καὶ Ἱππολύτου. Tandem Wandelbertus Diaconus in Martyrologio, inter Bedae opera *tom.* 1. *Baſileae* 1563. utrumque ſic conſociat.

Idibus Hippolytum comitem Laurentius aſtris
Pro Chriſti parili recipit certamine paſſum.

3 Quiritum erga Divum Laurentium ſingularis religio ex SS. Patrum teſtimoniis, ex vetuſtiſſimis Kalendariis, aliiſque Eccleſiaſticis libris, atque ex omni monimentorum genere pateſcit. De Hippolyto autem Prudentius Hymn. XI. περὶ στεφάνων ita cecinit:

Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma.

At quid ego hunc moror Hiſpanum Poetam, qui ex tribus Hippolytis quaſi unum conflavit? Nempe quae litteris tradita reperiit de Hippolyto Epiſcopo Portuenſi, de Hippolyto Presbytero Antiocheno, de Hippolyto Milite, ac ſi ab uno geſta fuiſſent, perturbavit, atque conſuit; quum hi tres Martyres nonniſi nomine conveniant, locis autem, temporibus, vitae ſtudiis, mortis genere omnino diſcrepent. Verum alia fortaſſe cauſſa Formoſo prae oculis eſſe potuit, ut Hippolytum hic pingendum curarit; quod nempe illius cultum auxerit, amplificaritque, corpore ipſius in illuſtre conditorium tranſlato. Extat hodieidum inter marmora, quae doctiſſimus, ampliſſimuſque CARDINALIS PASSIONEUS S.R.E. Bibliothecarius in inſignem Tuſculanum receſſum ſuum advexit, capſa marmorea, in cujus antica parte intra orbiculum a duobus Angelis ſublatum ad hunc modum rudi ſcalpro ſcriptum legitur: quemadmodum videre licet in ſchemate, quod pagina mox ſequenti proponimus.

quod Chriſtus Paullo contradit , deſcriptarum explicatio quaeratur , Oedipo conjectore opus eſſe dixero . Nam quod Ciampinius autumarat , Chriſtum hoc loco Michaelem Paullo Apoſtolo commendare , exaratamque olim iſtic fuiſſe ſententiam : *Regem Dilectum Noſtrum Servum ProteGE* , aliquid ponderis , auctoritatiſque habere poſſet , ſi Paullum Regi , Regnoque Bulgarorum praeſidem , & cuſtodem fuiſſe datum conſtaret .

CA-



Porro ſi Hippolytus , de quo hic lapis ; miles ille eſt in fornice balnei depictus , jam praeſto erunt , ſi ita fas eſt loqui , Formoſi erga hunc Chriſti athletam merita , tum etiam cauſſa altera , cur illius imaginem , alias cum Laurentii copulatum , in opere a ſe caſtructo minime diſſociari voluerit .

CAPVT QVINTVM.

Balneum in uſum Cleri a S. Victore Ravennae refectum, & opere variegato ornatum. Vetus inſcriptio de balneo a S. Damiano in eumdem finem Ticini fabricatum. Locus Johannis Diaconi de balneo a S. Agnello pro miniſtris Diaconiae Neapolitanae exſtructo reſtituitur. Cur ſaponem bis in anno ſuis Clericis dari Agnellus praeceperit, ex illorum temporum ſcriptoribus, Conciliiſque eruitur. Balneum Neapoli a S. Ep. Noſtriano tempore Theodoſii quamobrem excitatum. Xenodochium Athanaſianum Balneaticum *ibidem pro Epiſcopo ſolvebat.*

EA ſemper fuit Romanae Eccleſiae cum propria, & ſingularis, tum veriſſima laus, ut a ceteris per univerſas provincias late fuſis, quemadmodum Cyprianus ſapientiſſime ſcriptum reliquit, tamquam *radix, & matrix agnoſceretur, & teneretur.* [1] Ex quo neceſſario contigit, ut a B. Petri Cathedra, omnium principe, ac magiſtra, reliquae Epiſcopales ſedes non judicia modo, conſultaque in graviſſimis quibuſque cauſſis expeterent, ſed ab ea etiam conſuetudines, rituſque quandoque mutuarentur. Factum id plane in religioſis Clericorum lavationibus, quorum gratia Ravennae, Ticini, Neapoli ab optimis gentium illarum Epiſcopis Balnea Romanum in morem inſtructa, dedicataque fuiſſe comperimus. Sequitur igitur, ut quae eorumdem ſuperſunt monimenta hic in unum collecta locum a nobis proferantur. Ac mihi quidem ſplendidiores Urbes conſpicienti ſtatim, primoque loco occurrit Felix Ravenna, cujus quondam tanta fuerat dignitas, amplitudo, atque majeſtas. Narrat Agnellus in Vita S. Victoris, qui inauguratus, ordinatuſque eſt Epiſcopus Ravennas an. DXL., piiſſimum Antiſtitem hunc Balneum Sacerdotibus, & Clericis jampridem deſtinatum refeciſſe: quo uno teſtimonio colligitur, Ravennae ante Victorem fuiſſe in more poſitum, ut viri ſacro miniſterio conſecrati, addictique thermis, & balneari lavatione ad ſe pur-

 gan-

1 *Epiſtola* XLV. *alias* XLII. *ad Cornelium* Edit. Oxon.

gandos uterentur. Verba Agnelli placet exſcribere. *Refecit Balneum juxta domum Eccleſiae haerens parietibus muri Epiſcopii, ubi reſidebat, quo uſque hodie* (ſcribebat Agnellus circa an. DCCCXXIX. praeter propter) *mirifice lavatur, & pretioſiſſimis marmoribus parietes junxit, & diverſas figuras teſſellis aureis, variaſque compoſuit, & tabulam deſcripſit litteris aureis teſſellatis, in qua laborioſe legere curavimus, & ita ſuos hexametros catalecticos verſus in eadem conſcriptos invenimus.*

Victor Apoſtolica tutus virtute Sacerdos
Balnea parva prius priſco vetuſta labore
Deponens, miraque tamen novitate refecit,
Pulchrior ut cultus, majorque reſurgat ab imo.
Hoc quoque perpetuo decrevit more tenendum,
Vt biduo gratis CLERVS lavet ipſius Vrbis,
Tertia cui ceſſum eſt, & feria ſexta lavandi. [1]

Quamquam ex Symmachi [3], atque Sidonii Apollinaris [4] epiſtolis probe intelligam, per ea tempora in balneis expoliendis, ornandiſque ſummam omnium fuiſſe prodigalitatem; illud tamen mihi ipſi imperare haud poſſum, ut credam, Victorem Antiſtitem animo excelſo, & pio, & virtutibus exaggerato tot fortunae munera, tot ſumptus, opeſque ſuis thermis opere Muſivo, aureiſque teſſellis conveſtiendis impendiſse, niſi ad divini nominis gloriam. An vir integer moribus, a luxu abhorrens, juſtique tenax poterat ſuis Clericis, quos ad tenuitatem, ſimplicitatemque vivendi informabat, balneum tanta cum lautitie parare, niſi aliqua pietatis cauſſa illuc adventaſſent? Sacrum igitur oportet illud extitiſſe: quod de ceteris mox deſcribendis dictum volo. Proxime ad Ravennae celebritatem, ac ſplendorem acceſſit olim Ticinum, Langobardorum Regum ſedes, regnique caput. Huic Eccleſiae adminiſtrandae, regendaeque an. DCLXXX. Sancto

1 *Liber Pontificalis. Vit. Vict. cap.* I. edit. Bachinii. *Mutinae* 1708.

2 *Lib.* VI. *ep.* 2. edit. Pariſien. 1604.

3 *Epiſtolar. lib.* II. *ep.* II. edit. *Pariſien.* 1609. Adiſis, quae ad hanc epiſtolam illuſtrandam late collegit Johannes Savaro.

Sancto Anaſtaſio II. ſuffectum fuiſſe legimus S. Damianum; qui anno anteacto ſuum adverſus Monothelitas animum, ac ſtudium in Concilio Mediolanenſi, data ad Conſtantinum Imperatorem epiſtola nomine Manſueti Mediolanenſis patefecerat [1]. Is cum multa pro divino cultu amplificando, ſuique gregis ſalute geſſiſſet, tum de balneo ſacro cogitavit. Exſtat vetus lapis, cui tanti Epiſcopi laudes ad immortalitatem nominis ipſius conſignatae. Poſtrema elogii carmina haec ſunt:

. . . . TICINENSEM CATHEDRAM
DECORAVIT MORIBVS. CVIVS ET STVDIVM INGENS
FVNDAMENTA ERECTA VSQVE AD FASTIGIA FANTVR
DOMVS, EPISCOPIA. ET THERMARVMQVE VAPORES.
VT GEMINAS DILVERET CVLTV PROPRIO SORDES,
CORPORVM PER AQVAS, ANIMAE PLACABILIA SACRA [2].

Verum nihil eſt, quod ad antiquitatis ſtudia excolenda docta Neapolis praeſertim non omni aetate uberrime ſuppeditarit. Sive enim hominum ingenia ſpectes, acerrima, acuta, paratiſſima illa ſunt; ſive vetuſtatis monumenta contempleris, multa, & praeclariſſima tum ſacra, tum profana jugiter e ſolo prodierunt, quibus florentiſſimae illius urbis & magnitudinis, & praeſtantiae admonemur. Nec mihi de ſacris aquarum erogationibus diſputanti deſunt, quae ex Neapolitana hiſtoria depromam ad commentationem augendam, atque locupletandam. Johannes Diaconus in *Chronico Epiſcoporum Neapolitanorum* [3] de S. Agnello, qui eam Sedem poſt medium ſaeculi VII. tenuit, haec in acta retulit. *Hic fecit Baſilicam intus Civitatem S. Januarii Mart., in cujus honorem Diaconiam inſtituit, & fratrum Chriſti cellulas collocavit, delegans ab Epiſcopio alimonia CCX. modiorum, cum ducentas vini hornas* [4] *perennis temporibus per uniuſcujuſque ſucceſſionem*

1 V. Paullum Warnefridum, cognomento Diaconum *de Geſtis Langobardor. lib.* VI. *cap.* IV. *Hamburgi* 1611.

2 Apud Fleetvvond *Sylloge Inſcript. Antiq. pag.* 390. *Londini* 1691.

3 Vulgavit immortalis Muratorius *tom.* II. *Scriptor. Rerum Italicar. Mediolani* 1722.

4 Quid barbara ea vox *Horna*? Ducta procul dubio a Latina *Vrna*, notiſſima Romanis liquidorum menſura, quae pendebat vini libras ferme 38. V. Matthaeum Hoſtum *de Menſ. Rom. lib.* I. §. III. *Amſtelod.* 1692.

nem annualiter largiri, ſed & pro LABANDIS CVRIS *bis in anno Nativitatis, & Reſurrectionis Domini per anni circulum exequendum* SAPONEM *dari ſancivit*. Verba haec diligenter expendens ingentis nominis vir Al. S. Mazochius, dum Kalendarium Marmoreum divinis pene ſcholiis adornaret, ad balneum ſacrum aptiſſime refert, & Eccleſiam Neapolitanam neque hoc ornamenti genere exteris concedere arbitratur. Dein ſubdit: *in illo pro labandis curis non aliud intelligo, quam Diaconiae Curatores. Sic Curapalatii eſt Palatii Curator: in eumdem modum* Cura *idem, ac* Curio, *ſive* Parochus. *Cura Domus, Cura Monaſterii eadem notione uſurpatur* [1]. Nihil ſane ſolertius excogitari poterat ab homine hoc noſtro aevo cum paucis aliis τῆς ἀρχαιολογίας τῆς ῥωμαϊκῆς, καὶ τῆς ἑλληνικῆς in Italia principatum tenente [2]. Sed ſcrupulus adhuc reſtat, quo animus angitur. De *Cura* pro *Curione*, aut *Parocho* nihil diſputo. Licet enim huic nomini *Curae* aliquid fere ſemper additum fuerit, quo uniuſcujuſque rei demandata procuratio indigitaretur, ut *Cura Praetorii, Cura Caſtrenſis, Curapolates &c.* attamen *Curatorem* non barbaricis modo temporibus, ſed recto latini idiomatis uſu vigente, quandoque appellatum, dictumque fuiſſe *Curam*, compertum habeo. At cur ſolis Curatoribus conceſſum, ut balneum adirent? Cur illis tantum Saponem dari ſanxit Agnellus? Sane praeparca nimis, nec commemoranda munificentia, ſi hoc beneficio ſoli utebantur Curatores, qui quidem in una Diaconia profecto numero pauci erant. Quae igitur cauſſa vetat, ut minori verborum flexu lectionem ſic reſtituas: *PRO LABANDIS*, ſive *LAVANDIS SVRIS*? Fratres Chriſti, quibus cellulas conſtituit, & alimenta legat Epiſcopus, pauperrimi ſine dubio, nec integris caligis, aliove pedum, cruriumve tegmine, ſed ſolis ſandaliis, aut ſoccis veriſimiliter utebantur. Nam ne dicam, idem in Chriſtiana Republica obtinuiſſe, quod penes antiquos Romanos dudum invaluerat, ut licet a divitibus, aut delicatis hominibus tibialia

quan-

[1] *Commentar. ad Kalend. Marm. Neapolitan. Eccleſ. ad diem* IX. *Januarii*. *Vol.* I. *Neapl.* 17.

[2] Mazocchii doctrinam hoc elogio praedicat Cl. Ant. Vulpius *in Divinatione Diptychi Quiriniani pag.* XXV. *Romae* 1745.

quandoque adhiberentur [1], tamen *faſcias, quibus crura veſtiuntur, ſola poſſet excuſare valetudo* [2]; certum illud eſt, caligas, coxalia, ocreas, aliaque hujuſmodi integumenta a noſtris hominibus, iiſque maxime, qui in ſortem Domini admiſſi eſſent, more Apoſtolorum prorſus exulaſſe [3]. Quod vel maxime medio aevo accidiſſe, non eſt ambigendum. Enim vero quamvis inter Langobardos, qui eſſent elegantiae ſtudioſiores, commodiſque ſuis inſervirent, *ſuris contegendis candidis faſciolis uterentur* [4], viris tamen, qui graviſſimum, & ſanctiſſimum Ordinem Eccleſiaſticum delegerant, fuerat id interdictum a Concilio Cloveshovenſi II. an. DCCXLVII. ſub Cuthberto Doroberniae Archiepiſcopo cap. XXXVIII. ea lege: *ſive Clerici, ſive Monachi ne imitentur Saeculares in veſtitu Crurium per faſciolas* [5]. Ergo pauperibus Chriſti Neapolitanae Diaconiae praeter balneum in diebus ſollemnioribus ſaponem juſſit dari Agnellus, ut foedatas *SVRAS* detergerent, mundioreſque ad ſacra peragenda accederent. Haec noſtra verborum Chronologi emendatio ipſi Mazochio poſtmodum ea viſa eſt, quae non poſſet omnino improbari [6].

Quamquam Johanne Diacono facem praeferente, balneorum ſacrorum conſuetudinem in Neapolitana Eccleſia jam a Theodoſii, & Honorii temporibus, quibus illi praeerat Venerabilis Epiſcopus S. Noſtrianus, omnino viguiſſe intelligimus; ſic enim habet Chronicon. *Hic fecit balnea in urbe, & alia in gyro aedificia, quae uſque hodie Noſtrianus balneus dicitur*. Porro quum boni Antiſtitis id muneris ſit, ut Eccleſiae dignitati, & Sacerdotum commodo conſulat, nemini mirum videri poterit, ſi dixero, optimum hunc Pontificem, religioni perficiendae potius, quam alio cuivis uſui bal-

1 V. Muratorium. *Antiquit. Medii Aevi tom.* II. *Diſſert.* XXV. *Mediolani* 1739.

2 Quintilianus *Inſtitut. Orator. lib.* XI. *cap.* VII. *Londini* 1714.

3 Confer Cl. Johannem Lamium de *Eruditione Apoſtolorum cap.* IV. *de re veſtiaria Chriſtiani hominis primitivi*. *Florentiae* 1738. Hieronymum a S. Maria *de Sandaliis, calceamentiſque Apoſtolicis*. Joh. Bottarium *Roma Sotterranea tom.* III. *Spieg. Tavol.* CLI. 1754. &c.

4 Paullus Diaconus *de G. Lang. lib.* I. *cap.* XXIV.

5 Labbe *tom.* VI. *Collect. Concilior.*

6 *De Sanctor. Neapolit. Eccleſ. Epiſcopor. cultu Part.* II. *cap.* III. §. VI. *Neapoli* 1753.

qalneum dicaſſe. Adeo id vero eſt ſimile, ut Antonius Caracciolus Ordinis mei alumnus doctiſſimus, rerumque patriarum peritiſſimus, verba Johannis expendens in hoc maxime inclinarit judicium, Noſtrianum ſibi, aliiſque ſacrorum adminiſtris lavationis locum paraſſe, quum ad id tot ſplendidiſſimis exemplis poſſet perfacile excitari [7]. Atque hic mos in ea ampliſſima urbe, quo caeperat curſu, eodem longius proceſſit. Debemus hoc etiam Cl. Mazochio, ut plane conſtet, feris temporibus Pandochium Athanaſianum id oneris tuliſſe, ut ſingulis annis pro Epiſcopi ſui lavatione pretium ſolveret. Siquidem evulgavit ille pervetuſtum *Inventarium* ejuſdem Hoſpitalis, in quo *Num. III.* ſic litteris proditum eſt. *Semel in anno quando Archiepiſcopus vadit ad balnea unciam* (auri) *unam* [8].

CA-

7 *De Sacris Eccleſ. Neapolitanae monumentis*. *Neap.* 1745.

8 In appendice operis, quod inſcripſit: *Diſſertatio Hiſtorica de Cathedral. Eccleſ. Neapolit. ſemper unica*. *Neap.* 1752. De publica, ſollemnique lotione, quae a Neapolitanis peragebatur in pervigilio S. Johannis Baptiſtae, ex teſtimonio Benedicti de Falco docuimus *in Antiquit. Chriſtian. Diſſert.* VIII. *cap.* III. Quo loco demonſtravimus, jam ab Auguſtini temporibus depravatam, falſamque opinionem hominum animos occupaſſe, ut crederent, lotione ea nocte adhibita, quodcumque animi ſcelus, patratique criminis labes tergi, purgarique.

CAPVT SEXTVM.

Balneum in ſinu Puteolano, cui nomen Fons Epiſcopi, *viris rei divinae operaturis deſtinatum. Auctor poematii de thermis Puteolanis, Bajaniſque detegitur. Codices Paullinus, Angelicus, & Vaticani expenduntur. Epigramma de Fonte Epiſcopi. De ſignificatione vocis* Parapſis, *qua in eo poeta uſus eſt. Cauſſa, ob quam Antiſtites ſacrorum balneum adibant ab Euſtatio, Elyſio, aliiſque falſo, & calumnioſe excogitata. Nec huic criminationi Ratherium Epiſcopum Veronenſem favere. Quare pro Cleri lavatione antiquae Ethnicorum thermae quandoque delectae.*

PERBREVI ab urbe Neapoli removetur intervallo ea Campaniae regio, ubi a Samiis conditi Puteoli, quondam Δικαιαρχεία nuncupata [1]. In hac cum frequentia fuere ſaluberrima cujusvis generis balnea, quorum meminere veteres ſcriptores; exſtantque ad hunc diem veſtigia, ac parietinae, quibus illorum amplitudo non obſcure indicatur. Vnum inter cetera digniſſimum mihi viſum eſt, de quo hoc in libro enucleatius ageretur, illud inquam, cui nomen *FONS EPISCOPI* a popularibus conſulto inditum eſt. Quamvis enim non deſint, qui de illo qua ſoluta, qua metrica oratione ſcripſerint [2], cui tamen uſui vere cederet, nunc ego primum inquiram. Porro non hoc ad conflandam aliis arrogantius invidiam dico, ſed altiora repetenti permulta ſe produnt, quae his ſcriptoribus fidem abrogant. Nam quot quot de eo balneo aliquid litteris conſignarunt, in ea fuere ſententia, hoc nomine fuiſſe donatum, vel quod Antiſtes aliquis Puteolanus publico commodo reficiendum ſumptibus ſuis curarit, vel quod Epiſcopi podagrae leniendae cauſſa illo uterentur. Ego

1 Pompejus Feſtus de verb. ſignific. *Dicaearchia vocabatur, quae nunc Puteoli.* Confer Antonii Sanfelicii Junioris *ad Campaniam illuſtratam* A. Sanf. Senioris num. 131. *Neapoli* 1726.

2 In Collectione Scriptorum de Balneis, Venetiis 1507. & 1553. apud Juntas, Medicos, Hiſtoricos, Poetaſque invenies, qui de thermis Puteolanis latiſſime ſcripſere. Rurſus in *Thermologia Aragenia* Sebaſtiani Bortoli *Neapoli* 1667.

vero eam animo imbibi opinionem, ut credam, *BALNEVM SACRVM* fuiſſe, in quo qui rem ſacram erant facturi, ac etiam Coenobitae pro vetuſtiſſimo Eccleſiae more quondam eluerentur. Rem paullatim aperire, ac confirmare aggredior. Quum manuſcriptos libros, qui Neapoli in pluteis bibliothecae noſtrae domus S. Paulli adſervantur, evolverem, forte occurrit Codex Membranaceus, iſque diligenter, & quantum auguror conjectura, exeunte ſaeculo XIII. calamo exaratus, continens poëmation, cui calligraphus titulum fecit: *De Balneis prope Neapolim*. Carmina haec in totidem epigrammata diſtributa ſunt, quot prope Cumas, Miſenum, Bajas, Puteolim fuere balnea, nempe XXXIV. At ſi verſus Apolline laevo conſcripti, Codex permagni faciendus, quippe qui XXXV. ornatur pictis imaginibus, minioque fucatis, quae ſatis concinne pro temporibus illis balneorum virtutes, modum ea adhibendi, aedificiorum ſtructuram oculis ſubjiciunt. Verum antequam argumenta depromam, quibus adducor, ut balneum hoc ſacrum exiſtimem, praeſtabit aliqua de poëmatii auctore delibare. Sigiſmundus Mayr, qui alter fuit poſt Sextum Reinſingerum ex Germania, ut tum moris erat [1], Neapolim accitus ad typographiam ſolertius exercendam, omnia ea epigrammata edidit anno 1505. ſub nomine *Euſtatii de Matera*. At Johannes, & Thomas heredes Lucae Antonii Juntae, typographi non illitterati, neque ignavi Venetiis eadem vulgarunt anno 1553. cum hac inſcriptione: *Alcadini Poetae Siculi Carmina*. Venetiis iterum lucem adſpexit opus anno 1587., eique nomen Euſtatii praefixum fuit. Neapoli rurſus prodiit anno 1596. & Alcadinum prima fronte ceu ſui auctorem enunciat. Verumtamen Franciſcus Lombardus Neapolitanus vir praeſtanti ingenio [2], multa-

1 Neminem fugit praeſtantiſſimos in Italia typographos per ea tempora Theutonicos extitiſſe. Qui re libraria delectantur, norunt Arnoldum Pannartz, Bartholomaeum Goltſch, Chriſtophorum Valdarfer, Conradum Suveynheym, Eucarium Silber, Georgium Sachſel, Georgium Herlot, Joh. de Spira, Joh. Schallum, Joh. Schulzer, Joh. Fuſt, Joh. Manthen, Leonardum Pachel, Petrum Schoiffer, Vbderleum Stinzenzeller &c. qui apud Italos artem primi factitarunt. Vid. Maitaira *Annales Typographicos ab artis inventae origine Hagae Comitum* 1719. 1722. *& ſeq.* Adami Henrici Lackmani *Annalium Typograph. ſelecta capita*. *Hamburgi* 1740. Joh. Chriſtiani Wolfii *Monum. Typ. Hambur.* 1740. *Hiſt. de l. Imprimerie a la Haye* 1740.

2 Angelus Rocca in *Biblioth. Romae* 1591.

multarum linguarum peritus, apud PP. Pium IV. Armenorum Oratorum interpres deſignatus, & a Cardinali Seripando in Canonicorum collegium cooptatus, qui verna aetate medicina ſe oblectarat, dum hoc poëma adnotationibus illuſtraret, inſcriberetque primo quidem Mariae Aragoniae, deinde Joh. Treviſano Patriarchae Venetiarum, modo Euſtatium, modo Alcadinum horum carminum auctorem cenſere viſus eſt [1]. Capacius vero aliam iniit viam, dumque haec carmina velut hiſtoriae Puteolanae mantiſſam protulit, *Carmina Ebolitani vatis* appellavit [2]. Sed quae doceant codices MSS. videamus.

Exſtant Romae complures noſtro Paullino pene ſimiles. Cartaceus in bibliotheca Angelica adſervatur, atque huic ſcriba pro ſuo ingenio titulum adjecit, & Oribaſio Sardiano medico, qui temporibus Juliani Apoſtatae, & Valentiniani floruit, opus adjudicavit. Sed aevi longe inferioris poëmation eſt, quam ut Oribaſio adſcribi queat. Is quidem nonnihil *de Balneis Puteolanis* ſcripto mandavit [3], ex cujus libro auctor carminum multa decerpſit; quod in aliquibus Codicibus minime eſt praetermiſſum, ubi ad oram haec leguntur: *Ex Oribaſio*. In noſtro aliena manu haec ſunt adjecta: *Incipiunt nomina, & virtutes Balneorum, ſicut in libro* x. *Oribaſii vetuſtiſſimi medici continentur*. Praeterea Codex Angelicus habet verſionem Italicam a viro Neapolitano vernaculo idiomate, incompteque exaratam. Codex alter ex Ottoboniana in Vaticanam commigravit, in quo vix eſt, quod adnotemus. Ibidem duo alii ſunt, quorum alter membranaceus ſaec. XIV. ſcriptus (*Cod. Vat.* 1528. *fol. p.* 63.) alter cartaceus (ſaec. XV. *Cod.* 3436. *pag.* 151.), mendiſque ferme iiſdem, ſimilique barbarie uterque ſcatet: Euſtatium ambo

com-

1 Edit. a Matth. Cancer. *Neapoli* 1547. Rurſus in *Theſaur. Antiquit. Italiae tom.* IX. *part.* III. & in *Italia illuſtrata Variorum Francofurti* 1660.

2 Ad Calcem *Hiſtoriae Puteolanae*. *Neapoli* 1604.

3 Confer quae de Oribaſio tradit Johannes Vander Linden. *de ſcriptis Medicis Ameſtelod.* 1662. Chriſtianus Guilelmus Keſtner *Bibliotheca Medic.* Johannes Clericus *Hiſtoire de la Medicine livre* III. *a la Haye* 1729. Johannes Freind, *Hiſtoria Medica*. *Pariſiis* 1735. *&c.* Narrat Graevius in Epiſt. ad Nicolaum Heinſium, quae eſt in Collect. *Epiſtolar. Petri Burmanni tom.* IV. *pag.* 557. *Ameſtelodami* 17 . Thomam Reineſium opuſculum de Balneis Puteolanis adnotationibus illuſtraſſe. Nemo, quod ſciam, edidit, lateque fortaſſe ad hunc diem in tranſalpinis Bibliothecis.

commemorant, de Alcadino vero in utroque ſilentium eſt.

Jam dicam, qua ratione liceat diſſidentes opiniones ad concordiam adducere. Errore ſane tenentur, qui omnia haec epigrammata uni attribuunt, eidemque totum poëmation, ceu auctori ſuo, acceptum referunt. Codex alter bibliothecae Paullinae cartaceus ſaeculi ſuperioris (*Plut. III. num.* XXII.) admonet, nonnulla Alcadino, nonnulla Euſtatio eſſe adjudicanda: viderantque id tum Joſeph Mormile [1], tum Scipio Mazzella [2] de his thermis agentes, quamvis hoc minus diligenter. Contra Amanuenſes, ac deſcriptores operis nimium celeres, quum verſus omnes ejuſdemmet argumenti, & metri animadvertiſſent, omnes ab uno eodemque poëta conditos, & male tornatos exiſtimarunt: qui error facile ad typographos tranſmiſſus eſt. Alcadinus quidem, qui, ſi fides Geſnero [3], Mongitorio [4], Fabricio [5], Syracuſis natus medicinam Salerni primum factitavit, dein Neapoli Henrici VI. Imperatoris, ejuſque filii Friderici Archiater fuit, ut morem gereret Friderico, cui poëſis in amoribus erat, de balneis Puteolanis ligata oratione ſcripſit, at ſexdecim dumtaxat hujus poëmatis epigrammata. Euſtatius autem, qui Neapoli artem ſalutarem exercebat, dum rerum potiretur Carolus II. alia duodeviginti elucubravit; inter quae ſequens recenſendum. Mens non eſt in praeſentia totius operis variantes lectiones perſequi, & quae Codicis εἰκόνες de horumce balneorum varietate, ſtructura, ornamentis, adminiſtris, ſupellectili commonſtrant, enarrare; nam inſtituta operis ratio tantummodo poſtulat, ut quae ad *Balneum Epiſcopi* pertinent, hic proferamus. Ab epigrammate exordior, quod tale eſt [6]. *FONS*

1 *Diſcorſo intorno alle antichità di Napoli, e Pozzuolo Nap.* 1629.

2 Johannis Elyſii de Balneis Puteol. Bajarum, & Pithecuſar. opus auctum a Scipione Mazzella. Neapoli 1591.

3 *Bibliothec. Tiguri* 1545.

4 *Bibliotheca Sicula. Panormi* 1708.

5 *Bibliotheca Mediae, & infimae latinitatis. Hamburgi* 1734.

6 Porro ſi Mayeri, Lombardi, Juntae, Capacii Libros, Codiceſque Vaticanos contuleris, varias inter ſe ſe invenies noſtri Epigrammatis lectiones, quas ego in priori operis editione diligentiſſime recenſui. Verum quis deſcriptorum vitio, & ignorantia accidiſſe reor, ut verba ſaepe fuerint perperam mutata, ſaepe etiam ineptiſſime corrupta; idem autem in omnibus praeter propter ſenſus eſt, ne nugas frugis omnis experres, inutili λογομαχίᾳ conſectari videar, a variantibus iterum recenſendis ſuperſedeo.

FONS EPISCOPI.

Nomine fons tali fruitur, quod competat aegris,
Vel quia Pontificis cura refecit opus.
Arteticis prodeſt, tollit genus omne podagrae,
Hunc habet expertum Pontificale genus.
Et quia Praelatis requies nocet, atque parapſis,
Torquentur magno ſaepe dolore pedum.
Cum conſtipatur cibus, intercluditur intus;
Inde dolent ventres, ilia tenſa crepant.
Tales ergo tibi ſi vis lenire dolores,
Pontificis fontem vade, require celer.

Quid hic quaeſo mireris, niſi politiorum artium occaſum, horridam, ſquallentemque rei litterarie faciem, & vatum aevi illius ingenium, qui, modo propoſitum expedirent, de apta verborum menſura, de nitore, de artificio nec hilum cogitabant [1]; aut potius ſummam poëtae petulantiam, qui Antiſtites, quaſi deſidia, otioque marceſcentes, & ſcitamentis, cupediis, ferculiſque valentiſſimis intemperantius vacantes maledico calamo carpit, atque traducit? Nam quid ſibi vult compoſita illa graeca vox *Parapſis*, quam Praelatis tantopere nocere dixit Euſtatius? Sive enim ab ἀψὶς ducatur, propter figurae rotunditatem, illa quidem a Juvenali [2], Martiali [3], Petronio [4], Sidonio [5] pro lance eſcaria, ſcutella, vaſe menſario accipitur; ſive Παροψὶς mavis legere, tum erit, teſtibus Polluce [6], Iſidoro [7], Ca-

1 V. Leyſſerum, *Hiſtoria Poetarum Medii Aevi*. *Halae* 1721.

2 *Satyr.* III. Confer Turnebi *Obſervat.* lib. X. cap. XXVII. *Argentorati* 1600.

3 *Lib.* XI. *Epigr.* XVI.
Sic implet gabatas, parapſidaſque,
Et leves ſcutulas, cavaſque lances.
V. Raderum ad hunc locum, qui multa erudite congeſſit. *Moguntiae* 1627.

4 Cap. XXXIV. *Satyric. Conviv. Trimalcionis*. Genevae 1629. *Inter tumultum, quum forte parapſis excidiſſet.*

5 *Lib.* II. *Epiſtol.* IX. Pariſiis 1609. *Prandebamus breviter, & copioſe, Senatorium ad morem: quo inſtitutum, multas epulas paucis parapſidibus apponi.*

6 *Onomaſtic.* lib. VI. *cap.* IX. Ex recenſione Jungermanni, Kuhnii, & Siberi. *Amſtelod.* 1706.

7 *Gloſſarium lib.* XX. *cap.* IV. Exſtat cum Lexico Philolog. Martinii *Amſtelod.* 1701.

Caſaubono [1], condimentum, ſapidum edulium, juſculi genus, aut ἔμβαμμα cibis ſuffundendum. Tandem ſi deleto graeco vocabulo, latinum *paratus* ſufficias, ut habent Juntae, & Lombardi [2] editiones, illud ſemper ex epigrammate conſequetur, Epiſcopos in victus ratione peccaſſe, utpote qui prandia lautioribus, & frequentioribus lancibus inſtruerent, aut conditiſſimis ταῖς παροψίσι menſam appararent. Quae quum ſint, quaeſtioni a me perperam conſultum, cautumque improvide videbitur, quod *Fontem Epiſcopi* inter balnea ſacra adnumerem, quandoquidem recitatis mox carminibus perſpicue erudimur, thermas fuiſſe natura ipſa comparatas ad avertendam, minuendamque podagram, crudum ſtomachum, iliorum turbas, quae otio, & voracitate creari, foverique ſolent.

Atqui calumniari iſtud eſt, & joculari commento, illepido fuco, irreligioſa licentia cavillari. Depictum ſchema, quod noſtro in Codice epigrammati praefigitur, hic tamquam προσθεωρίαν contuendum exhibeo: quo conſpecto poëtae procacitatem, atque ἀκρισίαν oſtendam, ejuſque frigidam fabulam evertam, elidam, disjiciam. In noſtra itaque tabula Epiſcopos binos cernimus, alterum Penula magna, alterum Dalmatica manuleata indutum. Sacra infula, ſeu Mitra non quadrata eſt, ſed bicornis, patulo curvamine ſuperne hians, ſicut per ea tempora. Pallio uterque donatur more antiquo. Stant e regione duo homines alba tunica, injecto deſuper Ependyte Monaſtico, cum capitio aculeato atro, & nigrante. Quod veſtimenti genus neque ad valetudinem refero, neque arcendo frigori datum exiſtimo, licet Teleſphoro in nummis, & caelaturis antiqui operis ejuſmodi bardocucullum tributum ſciam, atque etiam peregrinos, & pueros agrarios in anaglyphis ita repraeſentari compererim. Longe verius Monachos ibi demonſtrari decerno, ſcriptorum, monumentorumque veterum auctoritate permotus [3]. Tandem intra balneum viros Eccleſiaſticos conſpicimus,

1 Ad Athenaeum *lib.* IX. *cap.* XII. *Lugduni* 1612.

2 loc. cit.

3 Adi libri hujus caput IX.

mus, qui ſervorum Thermariorum miniſterio eluuntur, emundanturque. Quidni enim rerum divinarum curatores eos appellem, qui *Tonſura* non Stoica, ſed *Clericali* in modum coronae inſigniuntur [1]? Jamvero quod erat propoſitum colligamus, & quam abſurde, aut maligne hujus balnei originem, uſumque Euſtatius detorſerit, & explicarit, doceamus. Ac primo vide, quam falſa, & ad extremum ridenda ex poëtae dicteriis enaſcantur conſectaria. Singulis ille morbis ſuum ex Puteolanis balneum aſſignat, quo illos ſpeciatim aut depelli, aut imminui affirmat. Ergo ſi unum *Pontificale genus* balnei hujus efficacitatem *expertum habuit*, neceſſario dicendum, Eccleſiaſtici Ordinis primores peculiari ſuo morbo omnes tum contaminatos, vexatoſque fuiſſe. Ita ne vero communis haec lues evanuit, ut qui longa periclitatione *morbos Artificum*, *morbos Militum*, *morbos Virginum* patefecerunt, ſimiliter *morbum Epiſcoporum* non deprehenderint? Nam quae in leviſſimo libello *de morbis Monachorum ventilationi, & examini propoſitis* [2] curſim adnotavit Johan. Philippus Thom, adeo ſunt ridicula, ut in his Lutherani hominis malevolentiam perſpicias, nullam autem ſcientiam, nullum judicium, documenta prorſus nulla. Rurſus ſi balneum hoc *podagricis*, *arthriticiſque* remedio, praeſidioque erat, hucque nonniſi Epiſcopi, Clerici, & ſolitudinis incolae conveniebant, ſequitur in toto hominum genere eos tantum podagra, & arthritide laboraſſe, hocque corporis vitium fuiſſe, quo illi prae aliis potiſſimum gravabanrur. Sed ad eam rem ſcriptorem aliquem ad fidem faciendam ab Euſtatio adhiberi fas erat, ſi a poſteris ſibi credi depoſcebat. Quis enim ſine teſte, ſine auctore hoc ſibi obtrudi patiatur? At, inquies, nonne concordi ſententia Joh. Elyſius, aliique dixere hoc *Praelatis* eveniſſe *propter ciborum, & quietis abundantiam* [3]? Igitur non temere, ſuoque tantum arbitratu id ſcripſit Euſtatius. Nihil fingam, nihil diſſimulabo,

1 Octavo libri capite de *capillitia corona* agemus.

2 Gieſſae 1728. Similis furfuris libellus alius Willhelmi Hulderici Valdſchmidii *de morbis aulicis*. *Margurbi Cattorum* 1786.

3 *Lib. cit.*

labo, nihil obtegam: odi artes, quibus veritas extenuatur. Equidem Ratherius, ex Monacho Lobienſi Epiſcopus Veronenſis *de contemptu Canonum* [1] ad Humbertum Parmenſem id Clericis Italicis vitio dabat, quod pleniore cibo, & intemperanti, ac quotidiauo vini potu largius uterentur. Verum itane haec accipienda, ut eadem fuerit in omni Italiae Dioeceſi immoderatio? Ita ne ad unum omnes non Clerici modo, ſed etiam Epiſcopi, ſanctior Dominici gregis portio, ex ingluvie, & crapula male valebant, ut inſigne, & publicum balneum ob eam rem neceſſe fuerit inſtaurari? Quotnam ipſa Euſtatii aetate parvo vivere contenti frugalitatis, continentiae, pietatiſque ediderunt exempla? Quot etiam parco, ac parabili victu, cultuque corporis contenti ad praeſcripta ſacrorum Canonum, praeſertimque xv. Concilii Carthaginenſis IV. [2] eo etiam tempore laudabiliter vivebant?

Non hic ego ex annalium vetuſtate memoriam eruam clariſſimorum Antiſtitum (quorum meminiſſe poterat poëtaſter), quos non laborum remiſſio, non quies, non convivia oblectarunt. Conſignata Eccleſiæ Faſtis illorum nomina calumniam plane excludunt. Igitur balneum non inde *Fons Epiſcopi* dictum, *quod competat aegris*. Multo minus, quod Antiſtes aliquis in gratiam ſuorum aequalium, quos pedum dolor ob deſidiam, edacitatemque teneret, refecerit. Credibile ne, fuiſſe Epiſcopum, qui adeo parum ſui Ordinis nomini, ac famae conſuleret, ut vellet propalam exſtare illius ſocordiae, & intemperantiae monumentum? Imo infamiam hanc illorum quiſvis ſtuduiſſet pro virili avertere, atque delere. His itaque tricis, & obtrectationibus exploſis, ſtatuere me poſſe arbitror, Praeſulem aliquem in *Διακαιαρχείᾳ* tot exemplis illuſtrium Virorum, communique Ec-

1 *In Spicilegio* Lucae Dacherii *tom.* II. *Pariſiis* 1655.

2 Canonem eximie prorſus commentatione uberrime illuſtravit noſtrae Sodalitatis alumnus, morum gravitate, multiplicique doctrina clarus JOSEPH CARAFA, olim in Romano Archigymnaſio Hiſtoriae Eccleſiaſticae Profeſſor, nunc vero meritiſſimus Epiſcopus Miletanus. *De Re Domeſtica Epiſcoporum ad Canonem* xv. *Concil. Carthag.* IV. *renovatum a Conc. Tridentino Commentarius*. *Romae* 1747.

Eccleſiae more condoceſactum longe ante Euſtatium balneum ejuſmodi delegiſſe, ut etiam ſuae Dioeceſeos Clerus, & Aſcetae aptum ſacrae lavationi locum haberent; cui propterea agnomentum illud communi ſermone in perpetuum adhaeſit. Illud potius huic opinioni incommodare videbitur, cur Epiſcopo Puteolano, aut Miſenati, aut Bajano curae non fuerit, ut balneum ſacrum prope ſuas aedes excitaret: litteris enim proditum, Fontem Epiſcopi *in antiqua therma* fuiſſe *poſitum* ad oram maris, *dum littus ultra pergis* [1]. Sed hoc etiam duplici reſponſione faciliter expeditur; fieri quippe potuit, ut Epiſcopus hunc locum ſciens, & prudens delegerit, ut impenſae parceret. Annon Chriſtiani, quum opibus minime affluerent, templa, aras, conchas in ſacrilegum Deorum cultum dicatas ad ſanctiſſimae, incontaminataeque religionis uſum tranſtulerunt? Cur non etiam & balnea? Quid vero ſi animo propoſitum habebat, ut haec *Gentilium monumenta, veluti inſignia quaedam trophaea de expugnatis hoſtibus, & ex eorum ſpoliis comparata, permanerent* [2]? Feciſſet ſane, quod ab innumeris Pontificibus laudabili, pioque conſilio praeſtitum noverat, qui delubra, aedes, vaſa, cunctamque templorum ſupellectilem ab Ethnicis pollutam aeterno Deo vivo, & vero in anathema oblivionis conſecrarunt [3].

1 *Teatro Eroico Politico de' Vice-Re di Napoli di Domenico Ant. Parrini. Vita di D. Pietro d' Aragona*. Napoli 1694.

2 Baronius *in Martyrol. not. ad* XIII. *Maii*.

3 V. Joh. Marangonium *delle coſe Gentileſche traſportate ad uſo, e adornamento delle Chieſe*. *Cap.* IV. *&c. Roma* 1744.

CAPVT SEPTIMVM.

De duobus Epiſcopis in ſchemate Codici Paullini depictis , deque eorum veſtibus , & ornamentis obſervationes . Hoſpiniani commentum de antiquitate , & uſu Pallii in divinis Officiis . An hi duo Antiſtites lavantibus bene apprecentur , an vero geſticulentur . Quinam , Mazochio judice , cenſendi ſint . Vexatiſſimus Petri Hypodiaconi Caſinenſis locus de bino Eccleſiae Neapolitanae Praeſule dupliciter explicatus . Num in hac pictura Graecus Epiſcopus occurrat . Dalmatica , quae Graecorum Epp. proprium indumentum fuit , Latinis quandoque data . Graecos more Latinorum benedicere , *ex antiquis monumentis conſtat . Miſena Eccleſia everſa Neapolitanae copulata . Balnei noſtri ſtructuram cum veterum ſcriptorum teſtimoniis plane convenire . Barbiraſium , & corona capillitia Cleri Occidentalis ἐπίσημον .*

MEDII AEVII monumenta , & quae his proxime temporibus exſculpta , pictave ſunt , licet inſignem barbariem, & inconcinnitatem praeſeferant , opificeſque aetatis illius artium omnium plane rudes oſtendant; attamen quae tunc eſſet veſtium forma , quae aedificiorum ſtructura , quae vivendi ratio ita commonefaciunt , ut aliquando plura ex illis, quam ex magna, qui ſuperſunt, ſcriptorum copia feliciter, nitideque eruantur . Ritus itaque , moreſque , quos miniatulae appoſiti ſchematis figurae perſpicue repraeſentant, juverit diſpicere, atque explicare . Ab Epiſcopis, eorumque ornamentis exordior . Ac primo Mitra paullo altius aſſurgit , quam his temporibus fortaſſe uſuveniret ; quandoquidem ſi Italicarum urbium nummos , Epiſcoporum ſigilla , codicum picturas , ſacrarum aedium imagines contemplabere , depreſſior ubique illa conſpicitur . Porro quod ſpectat ad monumenta , quae ſaeculum x. praeceſſere , ea plerumque Antiſtites exhibent nudato capite , quemadmodum (ut unum ex multis referam) coloratae effigies , quibus mire perornatur praeclariſſimum

Ponti-

Pontificale Landulphi Ep. Capuani, opus ſaec. IX. quod in Caſanatenſi Bibliotheca adſervatur. Ex quo veroſimilius fit, Sauſſayo [1], & Vicecomite [2] licet repugnantibus, *Mitram* ante illud tempus aut aliud capitis ornamentum fuiſſe, aut nonniſi aliquibus Epiſcopis Romanorum Pontificum indulgentia fuiſſe conceſſam [3]. At ſumenda ne hic mihi erit prolixior diſputatio de *Loro*, ſeu *Pallio* (quandoquidem alterum ab altero profectum contendit Dufreſnius [4]), quod utriuſque Epiſcopi humeris aptatum collum circumambit, & in pectus recta defluit? Vt de illius antiquitate, primaque origine diſcrepant ſcriptorum opiniones, ita varia fuit retroactis temporibus ejuſdem forma, & exornatio [5]. Nec in re ſaepenumero quaeſita, & diſputata quicquam me promere poſſe confido, quod jam a Mabillonio, Zeiglero, Garnerio, Cantellio, nuperque a Cl. Catalano [6], a Pertſchio [7], aut Barthelio [8] non fuerit diligentiſſime animadverſum, & explicatum. Vnum tamen e re noſtra eſſe arbitror, ſi nempe monuero, venerandum, & myſticum [9] hoc inſigne argumento minime fore, ut duos hic *Archiepiſcopos* pictos credamus. Quamvis enim *ſtola Archiepiſcopalis* a Patribus Concilii Cpolitani IV. dicatur, pervulgatum omnino eſt, Romanos Pontifices Epiſcopis interdum poteſtatem feciſſe πολυςαύριον,

H 2 ſive

1 *In Panoplia Epiſcopali lib.* I. *de Mitrae Antiquitate*. *Pariſiis* 1646.

2 *De Miſſae apparatu cap.* XXXI. *Mediolani* 1616.

3 Ita plane piiſſimus juxta, ac doctiſſimus Cardinalis Joh. Bona *Rerum Liturgicarum lib.* I. *cap.* XXIV. §. XIV. *Auguſtae Taurin.* 1749. *Crediderim utramque opinionem* (de mitrae antiquitate) *poſſe facillime conciliari, ſi dixerimus, mitram quidem, qualis eſt hodie, nuperum ornatum eſſe, qui ante milleſimum Chriſti annum vix fuerit in Eccleſia: negari tamen non poſſe, quin a temporibus Apoſtolorum aliquod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, ſi non omnes, aliqui ſaltem Epiſcopi uſi ſint.* Quibus intellectis, commodum explicari poterunt, quae de Mitra S. Silveſtri, S. Ambroſii, S. Auguſtini, aliorumque Epiſcoporum afferri ſolent, aut in hac controverſia proponuntur a Bellotio *ad Ritus Eccleſiae Laudunenſis pag.* 87. *Pariſiis* 1662. Mabillonio *Praef. ad ſaec.* IV. *Ordinis S. Benedicti*, *Pariſiis* 1677. Mattene *de antiq. Eccleſiae ritibus lib.* I. *cap.* 14. Georgio *de Liturgia Rom. Pont. l.* I. *cap.* XIX. *Romae* 1731.

4 *De Inferioris Aevi Numiſmatis* §. VI. VII. 12. *Romae* 1755.

5 V. Joh. Marangonium in Prolegomenis ad *Chronologiam Romanor. Pontificum Baſilicae Oſtienſis cap.* X. *Romae* 1751.

6 *Ad Pontificale Roman. lib.* I. *tit.* XIV. *Romae* 1738.

7 *De Origine, uſu, & auctoritate Pallii*. *Helmſtadii* 1745.

8 *Diſſertatio Hiſtorico-Canonica de Pallio*. *Romae* 1753.

9 Confer Iſidorum Peluſiotam *lib.* I. *epiſt.* CXXXVI. *Pariſiis* 1638.

ſive φαινόλιον ad Metropolitarum morem geſtandi, vel ob meritorum magnitudinem, vel ob *Sedis* nobilitatem, vetuſtatemque [1]. Nolo lectorem ad exterarum gentium hiſtoriam amandare, ex qua intelligat, S. Marci, Pelagii I., Gregorii M. Johannis VIII. Anaſtaſii III., Leonis IX., Gregorii VII. permiſſu Pallium in re divina peragenda detuliſſe Epiſcopos Oſtienſem, Dolienſem, Auguſtodunenſem, Metenſem, Mindenſem, Halberſtadenſem, Ticinenſem, Bambergenſem, Lucenſem &c. [2] Producendus e domo teſtis, &, quod ajunt, οἰκόθεν μάρτυρ. Annon veteres Neapolitanorum Antiſtitum imagines illos referunt Pallio inſignitos, etſi nobiliſſima illa Sedes per illud tempus Metropolitico jure nondum fortaſſe frueretur [3]?

Vterque praeterea Epiſcopus *porrigit dexteram, & inſtar oratorum conformat articulos, duobuſque infimis concluſis digitis, ceteros eminus attollit* [4]. Colloqui itaque, viciſſimque ſermones ſerere videntur. Si vero ea digitorum conformatione populo ſalutem, incolumitatemque apprecari, & *benedicere* putandi ſunt, faciunt id ſane more *Latinorum*. Graeci enim Pontifices ſecus conſuevere, qui, dum *benedictionem* impertiuntur, annularem digitum in pollicem contrahunt, tribus aliis explicatis. Ambo igitur Latini Praeſules cenſendi. Ita plane Mazochio noſtro doctiſſimo viſum eſt, qui Pontificem dexterum latus occupantem pro Neapolitano Archiepiſcopo, alterum pone ſequentem pro Epiſcopo Puteolano habet [5]. Si quid tamen hic mihi conjicere, ſi quid etiam proferre liceat, artificem in pingendo ad patriam fortaſſe hiſtoriam reſpexiſſe ſuſpicor. Nam quid tam protritum,

tam-

1 Praeſtantiſſima in hac re monumenta ex Gallia Chriſtiana, ex ſcriptoribus Rerum Brunſvicenſium, & Germanicarum Leibnitii, & Meibomii protulit BENEDICTVS XIV. *De Synod lib.* II. *cap.* VI.

2 Rodulphus Hoſpinianus, ſcriptor mendaciſſimus, animum incredibili in noſtros malevolentia ſuffuſum, & caeco impetu turbatum gerens *in Hiſtoria Sacramentaria lib.* I. *cap.* III. *Tiguri* 1598. contendit, Pallium in ſacris faciundis non ante Gregorii Magni aetatem obtinuiſſe. At duo inſignia, & notiſſima exempla Symmachi, & Vigilii, quorum alter Theodoro Laureacenſi, alter Auxanio Arelatenſi honorem Pallii conceſſerat, ineptiſſimam criminationem produnt, atque refellunt.

3 V. Mazochium *de Cultu SS. Epiſcopo. Neapolit. Eccleſ. P.* III. *cap.* XV., & Aquilanum Antiſtitem Ludovicum Sabbatinium. *Il Vetuſto Calendario Napoletano to.* VI. *pag.* 29. *Napoli* 1745.

4 Apulejus *de Aſino Aur. lib.* XI. *Baſileae* 1620.

5 *De Eccleſ. Cathedr. ſemper un. Append. pag.* 273.

tamque celebratum, quam illud Petri Hypodiaconi de Neapolitana Eccleſia effatum? *binas Praeſulum geſtat ſedes ad inſtar duorum teſtamentorum, quamquam una ſit, quae regit, & gubernat reliquam, ut capite reguntur artus diverſi* [1]. Difficilis hic certe nodus, nec levi manu expediendus, qui doctorum hominum ingenia tamdiu torſit, nobiſque etiam moleſtiam undique circumfundit. Verum quum concepta, ac meditata a viris graviſſimis de verbis Caſinenſis ſcriptoris judicia mecum ipſe reputo, ſententiam illam bifariam explicari poſſe animadverto. Primo ſcilicet duos Neapoli fuiſſe Antiſtites, Latinum unum, alterum Graecum, quemadmodum rerum patriarum ſcientiſſimo Chiocharello [2], atque agiographis eruditiſſimis Papebrochio [3], & Cupero [4] placuit. Nam quum frequentiſſima metropolis illa non Romana ſolum, ſed & Graeca gente abundaret, quid veroſimilius, quam pro utraque natione ſuum exſtitiſſe Praeſulem, qui utrumque populum ſuo idiomate doceret, utriuſque ſalutem patriis inſtitutis curaret? Nonne liturgiam *Graeco-Latinam* ob eam cauſſam illic quondam celebratam novimus? Nonne templa illic fuiſſe accepimus, in quibus a Graecis Presbyteris res divina Graeco more peragebatur? Nonne bilingues inſcriptiones, innumeraque Graecitatis veſtigia illic adhuc ſuſpicimus? Verumtamen quum Canon Nicaenus vetaret, duos in una civitate eſſe Epiſcopos [5], Graecum Praeſulem Latini Epiſcopi *Vica-*

1 *In prologo ad vitam S. Athanaſii. In Rer. Italic. Scriptor.* Muratorii *tom.* II. *Parte* II. Vexatiſſimus hic locus varie fuit capiſcatus non a juriſconſultis modo, cauſſarumque patronis pereruditis Agnello, Patrizio, Mazzeo, qui in celebri de *duplici Eccleſiae Neapolitanae Sede* controverſia alterutrarum partium defenſionem ſuſceperunt; ſed etiam a Philologis doctiſſimis, a quibus haec eadem quaeſtio multis diſputationibus exagitata eſt. Quos inter honoris cauſſa commemorabo Januarium Majellum multiplici eruditione, & ingenua pietate, dum viveret, in ore omnium praeclariſſimum. *Memorie in difeſa del Capitolo Metropolitano di Napoli. Roma* 1640. Benedictum Serſalium, *Diſcorſo iſtorico della Capella de' Signori Minutoli. Napoli* 1745. Cl. Alex. Mazochium tum in *Commentar. ad Kalendar. Marmor. ad diem* xv. *Jun.* tum in Diſſert. *de Cathedr. ſemper unica*. Joſephum Simonium Aſſemanum, *Italicae hiſtoriae ſcriptores &c. Tom.* II. *Romae* 1751. Placidum Troylium *Diſſertazione Iſtorico Apologetica intorno alle due pretese Catedrali. Napoli* 1753.

2 *Antiſtitum Neapolit. Eccleſiae Catalogus ad an.* 878. *Neapoli* 1643.

3 *Ad vit. S. Fortunati. Acta SS. tom.* II. *Junii Antuerpiae* 1698.

4 Apud Muratorium loco mox indicato.

5 Thomaſſinus, *Vetus, & nova Eccleſiae diſciplina lib.* 1. *P.* 1. *cap.* xxix. quem ex

Vicarium, aut *Chorepiſcopum*, aut *Protopapam* fuiſſe crediderim, qui in Graecorum gratiam, vel ob ſummam Neapolitanae Eccleſiae amplitudinem ordine Epiſcopali eſſet inſignitus. Itaque, ut, quod erat propoſitum, conficiam, quis non intelligat, fieri potuiſſe, ut Neapolitanus pictor, qui codicem coloribus illinivit, licet tum temporis Graeca gens urbe, regnoque pulſa eſſet, nihilominus *duplicitatis* illius memoriam, quae certe ex hominum mentibus nondum exciderat, hic exprimere voluerit, maxime quum patriae ſuae praeſtantiam indidem commendari videret? Et quoniam de balneo Neapoli finitimo agebatur, ibique Epiſcopi erant effigendi, nihil pronius fuit pictori, quam ad patrium morem illorum imagines conformare.

Ac Graecum profecto illum putaverim, qui ſecundo loco eſt, *Dalmatica* indutus, qua in Eccleſiaſticis monumentis, teſte Bonarrotio [1], Graeci Epiſcopi ornari ſolent, quum contra Latini *Penula* plerumque [2] veſtiantur. Nam quod hic etiam manum, digitoſque more Latino componat, nihil huic noſtrae interpretationi incommodat; Graecos ſiquidem id ipſum conſueviſſe, ut minime conſtans apud illos fuerit *Benedicendi* ratio, certiſſimum eſt. Graeci ſunt nummi Michaelis Rhangabe, & Romani Diogenis [3]; Graecus eſt jaſpis diactylothecae S. Genovefae [4]; Graeca eſt pictura codicis ſub Baſilio Macedone exarati [5]. Atqui in his Jeſus Chriſtus Servator dextera Latinum in morem erecta benedicit, pacemque

ex Rainaldo, & Spondano conſtare videret, Cypri, & Rhodi fuiſſe aliquando duos Epiſcopos, alterum Latini ritus, alterum Graeci, eam inuſitati moris cauſſam affert. *Duo quippe*, inquit, *in uno populo erant populi, duae urbes in una urbe, quoties duos aſſignari Epiſcopos indultum eſt, ut ex inſulis Cypri, Rhodique patet.*

1 *Oſſervazioni ſopra il Dittico Rambonenſe pag.* 271. *Firenze* 1716.

2 Conſulto quidem, meditateque τὸ *plerumque* appoſui. Latinos namque Epiſcopos *Dalmaticam* tamquam proprium ſui Ordinis indumentum habuiſſe, non obſcure colligitur ex Epiſtola Zachariae Papae ad Auſtrobertum Epiſcop. Viennenſem in Bibliotheca veteri Floriacenſi Johannis a Boſco *part.* III. *Lugduni* 1605. in qua Pontifex ſic Auſtrobertum alloquitur. *Dalmaticam uſibus veſtris miſimus, ut quia Eccleſia veſtra ab hac ſede doctrinam fidei percepit, & morem habitus ſacerdotalis, ab illa etiam percipiat decorem honoris.*

3 *Numiſmata Impp. a Trajano Decio ad Palaeologos* Bandurii *tom.* II. *Pariſiis* 1718.

4 Meminit ejuſdem gemmae Zornius *in Miſcell. Nov. Lipſienſ. vol.* VI. *pag.* 1. *Lipſiae* 1747. in Diſſert. *De Chriſto ſublatis manibus benedicente.*

5 *In Palaeographia Graeca* Montfauconii *lib.* III. *cap.* VIII. *Pariſiis* 1708.

cemque ſuam dat; hoc ipſo igitur geſtu poterat Graecus Praeſul caeleſtia bona populo apprecari. Quod ſi nihil Graeci in hac pictura deprehendi quiſpiam contendet, jam praeſto eſt altera verborum Hypodiaconi Caſinenſis interpretatio, qua duorum Epiſcoporum figuratio aptiſſime declaretur. Saeculo labente nono, quum Saraceni, genus hominum truculentum, efferum, & plane *ληϛρικὸν*, exitialem cladem, vaſtitatem, infortunia omnia Campaniae importaſſent, Miſena Eccleſia ſic depopulata, funditusque everſa, ut Epiſcopo ſuo nullus reliquus fuerit locus, nullaque relicta ſedes. Tum agente Sergio Duce, Dioeceſeos illius procuratio Athanaſio Epiſ. Neapolitano demandata fuit [1], ut afflictum populum tueretur, eique ope ſua provideret. Atque ſic Miſenatum Epiſcopatus Parthenopeo adjunctus, & coagmentatus eſt, ut per aliquot ſaecula Neapolim *binas Praeſulum geſtaſſe ſedes* vere, proprieque dici potuerit. Quandoquidem vero Balneum, de quo hic agitur, in Miſeno *ϛαυροπηγίῳ* forte extitit, aut gentium illarum Antiſtes ob loci propinquitatem eo utebatur, ſucceſſivum in illud duorum Epiſcoporum dominium nullo *σχηματισμῷ* poterat a pictore opportunius repraeſentari. Sed in rebus, quae mera conjectura nituntur, ſatis jam verſati ſumus.

Atque hactenus quidem Antiſtitum imagines, veſtes, ac ſymbola, quibus inſigniuntur, niſi pro rei dignitate, quantum certe vel argumenti perplexitas, & obſcuritas patiebatur, vel operis noſtri conſilium poſtulabat, complexi ſumus. Nec me tamen conjecturis hucuſque plus aequo indulſiſſe vereor, aut exaggerata oratione pictoris induſtriam commendaſſe, qua aliquibus caruiſſe videbitur, quum ipſa balnei ſtructura cum veterum ſcriptorum narratione apprime conveniat. Abnormis quidem apparet aedifii architectatio, in quo paraſtatae praeter modum exiles, capitula depreſſiora, arcus male lunulati, & valgi, concameratio nimis ſinuoſa; ſed, praeterquamquod ea fuerat veterum Chriſtianorum aedificiorum ratio, annon dixit Sidonius Apollinaris in balneis

tecti

1 Johannes Diaconus *Chronic. apud Murator. l. c. fol.* 317.

Digitized by Google

tecti apicem fuiſſe *in conum cacuminatum* [1]? Eodem Sidonio docente, ad lucem immittendam ita cautum fuerat; *feneſtras e regione condito binas* [2]; binas autem, ut cernis, noſtrum habet balneum. Aurelius Symmachus illud etiam monuit; *in minoribus balneis piſcinalem picturis potius, quam muſivo excoli, non probavi* [3]. Nullas vero picturas parietibus induxit artifex, mihique inter Puteolanarum thermarum rudera verſanti, nihil occurrit, praeter coloratos quoſdam teſſellos, & vermiculata ſegmenta [4], quibus, ut augurabar, piſcina olim conveſtiebatur. Quis rurſus non miretur pictoris diligentiam, qui lavantibus ſervos balneares famulantes expreſſit? Nam non ethnicis ſolum id uſitatum, ſed & Chriſtianis, ac *Balneatorum* diſerte meminit Monaſticum Anglicanum [5]. Nemini item virorum ſacrorum barbam appinxit, ne quid ab antiqua conſtantique Eccleſiae Occidentalis conſuetudine alienum exhiberet. Vt enim ad Orzoccum Judicem Calaritanum teſtatur Gregorius PP. VII. *Occidentalis Eccleſiae Clerus ab ipſis Fidei Chriſtianae primordiis barbam radendi morem tenuit* [6]. Quod adeo receptum erat, ut qui quondam divini numinis ductu, rebuſque omnibus poſthabitis, in numerum religioſorum hominum adſciſci, aggregarique vellent, barbam ſibi abradi poſtularent [7]. Ad extremum illud in noſtri artificis laude ponendum eſt, quod ad perſpicue, certoque ſignificandam conditionem hominum, qui ſervorum miniſterio eluuntur, emendanturque, *corona capillitia* illos diſtinxerit. Si enim Eccleſiae mores, ac ritus nihil ſic firmat, ac commendat, ut originis

1 *Epiſtolar. lib.* II. *ep.* II.

2 *Ibidem.*

3 *Epiſtol. lib.* VI. *ep.* 2.

4 Fruſtula quaedam mecum abſtuli; cumque periculum diligentiſſime feciſſem, compactam illam, & vi ignis coloratam materiam eſſe deprehendi, quam veteres *Encauſtum* dixere. Sex colores calculi, teſſellique ejuſmodi praeſeferebant, *praſinum*, *armenium*, ſeu *caeruleum puteolanum*, *chryſocollam purpuriſſum*, *melinum*, & *indicum*. Qui tribus prioribus coloribus nitent, *pellucidi* ſunt, tota perpoliuntur, laeviganiur, & ad modum gemmarum in varias formas ſecantur. Ceteri, qui *opaci* ſunt, dum caeduntur ſcalpro, in minimas partes diſcinduntur. Haec omnia ab artifice experientiſſimo, & caelandarum gemmarum peritiſſimo me coram tentari, explorarique volui. Quod item feci de ſimilibus Encauſti fruſtulis, quae ad oram maris Surrentum ſubluentis repereram.

5 *Tom* 1. *pag.* 249. *Londini* 1655.

6 *Epiſtolar. lib.* VIII. *ep.* X. In Collect. Labbeana *tom.* X.

7 Plura habet Cl. Juſtus Fontaninus in Diſſertat. *de S. Petro Vrſeolo cap.* IV. & XXII. *Romae* 1730.

ginis antiquitas, jugis doctorum conſenſio, uſus minime diſcors, plane deſipiat, qui neget, *Clericos*, ceteroſque viros in ſortem, & hereditatem Dei admiſſos, praeter decurtatos capillos, coronam raſilem in ſummo capite, tamquam ſui Ordinis notam, & ἐπίσημον, perpetuo geſtaſſe. Omnia igitur luculentiſſima indicia appoſuit pictor, quibus admoneremur, balneum viris rem ſacram facturis fuiſſe addictum, & ritui Eccleſiaſtico implendo deſtinatum.

CAPVT OCTAVVM.

De corona capillitia, qua viri in balneo poſiti inſigniuntur, ἀπόβασις. Middletonii de illius origine ab Iſidis Sacerdotibus repetita joculare, & maledicum commentum. Duo ſacrarum litterarum teſtimonia a Theologo Cantabrigienſi perverſe detorta explicantur. Salmaſius locum Optati Milevitani de Presbyteris per injuriam a Donatiſtis deraſis ſubdole, & falſo interpretatur. S. Aniceti ad Gallos epiſtola ſubdititia. Canones veterum Conciliorum, quibus tonſa caeſaries Clericis praeſcribitur, indicantur. Cyprianus in Clerum cooptatus comam praecidit. Id ipſum Julianus ſe Monachum ſimulans. Marcianus poſt comae abſciſcionem Presbyter ordinatus. De Evagrii teſtimonio Salmaſii παρεγχείρησις. Nec diſſimiles Rivii ambages. Varia olim Coronae forma, & quid de ea a Concilio Toletano cautum. De ritu compellandi Epiſcopos per coronam. Felli Epiſcopi Oxonienſis falſa interpretatio rejicitur. Vetera aliquot Monumenta, in quibus Epiſcopi circulo capillitio ornati. Ejuſdem inſignis myſticae cauſſae a Patribus excogitatae carptim proponuntur. Jacobi Martini in aſſignanda, inveniendaque tonſurae origine ἀντιμαχίας detectae.

QVONIAM vero ſcribendo, diſputandoque eo deducta eſt oratio, ut de corona *Clericali* inciderit mentio, quoniamque vindicandis, aſſerendiſque Eccleſiae ritibus hoc in libro allaboramus, nemo certe, qui his ſtudiis capiatur, noſtrum conſilium vituperabit, ſi commodiſſimo mihi oblato

I loco

loco argutationes, fallacias, quibus ſanctiſſimus hic mos a nonullis inique reſpuitur, ab aliis ridicule explicatur, obiter, brevique excurſu ſumpſero convellendas. Ex qua citiſſima digreſſione duo maxime conſequentur, nempe ut pateſcat, quam miſere ineptiant homines aut contentionis magis, quam veritatis cupidi, aut ingenio intemperanti, qui praeclariſſimum ſapientiae ſpecimen edidiſſe ſe putant, ſi ſacras caeremonias dente maledico laceſſant, vel in illis explicandis novas prorſus pertentent vias. Tum etiam initurum me gratiam a Catholicis, doctiſque viris confido, quod plura hic certe proferam, quae hac in re noſtrorum diligentiam hactenus effugerunt. Atque ut ſtatim ingrediar in cauſſam, refutandus primo occurrit illuſtris noſtrorum temporum, magnaeque celebritatis, & ſplendidiſſimi nominis homo. Eſt is Conyers Middletonius Theologus Anglus, Bibliothecae Cantabrigienſis praefectus, vir certe optimarum artium ſtudiis eruditus, rerum Marci Tullii memorabilium ſcriptor politus, & elegans, nec minus Graece, quam Latine doctus, antiquitatum ſatis peritus, & quaeſtionum Biblicarum apud ſuos quandoque interpres. Qui quum ante non multos annos Romam appuliſſet, urbemque omnium terrarum principem curioſius fuerit contemplatus, hunc unum peregrinationis, diligentiae, laboriſque ſui percepit fructum, ut Londinum redux conterraneis ſuis perſuaderet, nos impia adhuc ſuperſtitione obligari, ritus omnes, qui Romae obtinent, veterum Romanorum idololatriam referre, omnia denique apud nos *Paganico more* peragi. Id ut conſequeretur, epiſtolam Anglico ſermone inibi edidit, quam nunc poëtarum carminibus, nunc inſcriptionibus, modo lepidis narratiunculis, modo ſeverioribus teſtimoniis copioſe adornavit [1]. Quae tantis plauſibus, tantaque approbatione a ſuis excepta eſt, ut brevi temporis ſpatio litterariis formis quater recuſa prodierit, Gallice reddita fuerit [2], & a tranſmontanis Ephemeri-

1 A letter from Rome Schewing an exact conformity between Popery and Paganiſm or the Religion of the preſent Romans derived from that of their Heathen Anceſtors. By Conyers Middleton DD. Principal librarian of the Univerſity of Cambrige. London: Printed for W. Innys. 1729.

2 *Lettre ecrité de Rome &c. avec un Diſcours preliminaire &c. à Amſterdam.* 1744.

meridum deſcriptoribus [1] ſummis laudibus affecta: perinde, ac ſi, uno Middletonio accuſante, cauſſa jam judicata, damnataque ſit, nullumque Catholicis relinquatur effugium. Sed levitas operis, in quo argumenta omnia partim ſunt ficta aperte, partim effutita temere, vel ex hac noſtra repulſa conſtabit. Eo igitur in opere acerbe, & contumelioſe invehitur Middletonius in vetuſtiſſimum morem, quo Eccleſiaſtici viri apud nos capillos praecidunt, & attondent, eumque (quis credat?) ab Aegyptiis nos mutuaſſe popularibus ſuis fallaciſſime venditat. Atque in hujus commenti patrocinium Herodotum excitat, qui lib. II. ſcriptum reliquit, Sacerdotes alibi eſſe comatos, ſed in Aegypto deraſos. Deinde Commodi Imp. exemplum huc attrahit, qui Iſidis Sacerdotum collegio cooptari cupiens, ne imparatus ad ea myſteria accederet, referente Lampridio in Commod. IX. capillos ſibi abradi juſſit. *Sacra Iſidis coluit, ut CAPVT RADERET, & Anubin portaret*. Eodem ſpectare ait, Juvenalis ſcommata Satyra VI.

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

His tandem ut auctoritatem, fidemque conciliet divinarum litterarum teſtimonio perverſe abutens verba illa in nos intorquet, quibus olim Deus Judaeorum ſacerdotes, quo magis ab Ethnicorum moribus abſcederent, ita perſtrinxit LEVITICI XXI. 5. *Non radent caput, aut barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras*. Et EZECHIELIS XLIV. 20. *Caput autem ſuum non radent, neque comam nutrient, & tondentes attondent capita ſua*. Conqueritur ergo, miraturque Middletonius, qui umquam fieri poſſit, ut hic mos decapillandi caput omnino ethnicus, damnatus, execratuſque Eccleſiae Romanae ſectatoribus in pretio ſit, & Clericis veluti ſui Ordinis inſigne praeſcribatur.

Atqui totum hoc argumentandi genus adeo inſulſum, & fallax, ut ubi ego ſophiſticam ambiguitatem detexero, Angli-

1 *V. Acta Eruditorum Lipſiae* Menſ. Auguſti 1730. *Bibliothéque Britannique, ou hiſtoire des Ouvrages des Savans de la grande Bretagne. Tom. 1. à la Haye* 1733. *Novelle Bibliothéque, ou hiſtoire des principaux ecrits, qui ſe publient. Tom. XI. à la Haye* 1742.

glique ſcriptoris fraudes nudavero, alterutrum fateri neceſſe ſit; aut vaniloquum rabulam, omniſque Chriſtianae doctrinae expertem eſſe, aut ſubdolum, & captioſum diſputatorem, qui ad procreandam Catholicis invidiam veritatem dolis, mendaciiſque obnupſit. Et vero credibile ne, hominem ampliſſimae, refertiſſimaeque bibliothecae praefecturam agentem, veram coronae capillitiae originem comprehenſam minime habuiſſe, atque ea prorſus ignoraſſe, quae de *Tonſura Clericorum* a Chamillardo [1], vel Sauſſayo [2] jamdiu ſolide, & erudite tradita fuerant? Quis ſibi perſuadeat, Middletonium latuiſſe ingens, & apertiſſimum diſcrimen, quod inter Ethnicos, & Chriſtianos hac ſuper re interceſſiſſe, longa oratione patefecerunt Stellartius [3], & Hurtadus [4]? Sed ita comparata ſunt novatorum ingenia, ut refutationes a noſtris centies propoſitas diſſimulent, quo facilius ſuis imponant, ſe nova, & inſuperabilia argumenta proferre. Aegyptii utique, ut Ambroſii verbis utar, *ipſi capita, & ſupercilia ſua radunt, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra* [5]. Verum quae fuerit ſuperſtitioſae nationis illius diſciplina, quove conſilio ejuſdem ſacrificuli nedum caput, ſed & *ſupercilia*, *totumque corpus* novacula frequentiſſime depilarent, nullo negotio ex Syneſio Epiſcopo Cyrenes *de laudibus calvicii* [6] diſcere poterat: a quo ſapienter, vereque perhibetur, Sacerdotes Aegyptios conſueviſſe ideo ſe depiles reddere, quod nefas putarent aliquam corporis partem *exanimatam*, *mortuam*, *ſordidam* ante Deos ſuos deferre. Jam vero, age, fare, ubi apud Catholici nominis profeſſores haec de capillorum immunditia ridicula opinio? Quis umquam religionis ſpecie totus glabratus prodiit? Nulla ergo Aegytiorum Sacerdotum κουρειῶν cum noſtratibus convenientia, nulla ſuperſtitionis communio. Venio ad alterum ſophiſma, quod tamquam male extructa, & compacta machina levi impulſu totum convellitur, ac labefactatur.

1 *De Corona, Tonſura, & habitu Clericorum*. *Pariſiis* 1659.

2 *Panoplia Clericalis &c. Pariſiis* 1694.

3 *De Tonſura Paganorum, Judaeorum, & Chriſtianorum*. *Duaci* 1625.

4 *De Coronis, & Tonſuris Gentilitatis, Synagogae, & Chriſtianiſmi &c.*

5 *Epiſtola ad Sabinianum*. *Edit. Pariſ.* 1686.

6 Edit. Petavii. *Lutetiae* 1612.

tur. Vide hominis malitiam, & verſutam nocendi artem. Quid, quaeſo, in Levitico, vel apud Ezechielem recitatis verbis vetuit Deus? Ne Iſraelitarum Sacerdotes in acerbo, & luctuoſo interitu eorum, quos caros habebant, capillos, barbamque more Ethnicorum moeroris cauſſa raderent, neve in eam dementiam ſe abripi ſinerent, ut ad animi dolorem ſignificandum, inſtar gentium alienigenarum, cultro ancipiti brachia, lacertoſque ſecarent [1]. Porro ad immoderatas, ſuperſtitioſas, barbaras illas doloris ſignificationes ſollemne, ac divinum interdictum ſpectare, revocarique debere, viderunt Critici Annotatores, licet Romanae communionis inimici [2]. Quare ergo verenda Dei verba proterve detorſit Middletonius? Quare genuinum, verumque illorum ſenſum impudentiſſime corrupit? Nempe, ut Clericos Catholicos apud ſuos in contemptum adduceret, finxit veterrimae, ſanctiſſimaeque Dei legi illos caeſarie ſua obluctari.

Sed nihil illuſtrius eſt, & ad hoc argumentum, in quo verſamur, expreſſius S. Hieronymi oratione, qua certa ſacrorum verborum interpretatio traditur. Is ergo habet ad hunc modum. *Quod autem ſequitur, caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed attondentes attondebunt capita ſua, perſpicue demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis, atque Serapis nos eſſe debere, nec rurſum comam dimittere, quod proprie luxurioſorum eſt, barbarorumque, & militantium, ſed ut honeſtus habitus facie demonſtretur, pro quo dixere ſeptuaginta: capita ſua non radent, & comas ſuas ad preſſum non tondebunt, ſed operientes operient capita ſua. Juxta quod diſcimus, nec calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed intantum capillos dimittendos, ut operta ſit cutis* [3]. Eſt autem ex his perſpicuum, Middletonium inſulſiſſime tricari, nihilque ad coronam capillitiam pertinere duo illa SS Bibliorum documenta. Valeant igitur hominis iſtius argutiae, ſubdolaeque inter-

1 De crudeli lanieno Sacerdotum Magnae Deum Matris diſputatum a Cl. Georgio De *Archigalli figura in agro Lanuvino detecta* §. XVII. *Romae* 1737.

2 Criticorum Sacrorum opus. *Tom.* II. *Amſtelodami* 1698

3 *Commentar in Ezechielem cap.* XLIV. Martianay. *Opp. tom.* III. *Pariſiis* 1704.

interpretationes, nec Eccleſiam tot ſaeculorum auctoritate fundatam ſero tandem ſe Chriſtianam facere velle confidat, aut firmiſſimos, optimoſque ritus male collecta eruditione commovere.

Cantabrigienſi Theologo nihilo ſapientior Leidenſis Profeſſor Claudius Salmaſius, qui in epiſtola *de Caeſarie virorum, & coma mulierum* [1] ad Andream Colvium Calviniſtarum *πρόμαχον*, coronam capillitiam ſin minus ab Ethnicis, certe ab Haereticis Donatiſtis profluxiſſe contendit, remque omnem uno Optati Milevis Numidiae Epiſcopi teſtimonio ſe confeciſſe gloriatur. Recita jam, homo acutiſſime, Optati locum, ut quae tua, tuorumque in excitandis Patribus fides ſit, in omnium oculos incurrat. *Docete* (inquit Optatus de Schiſmate Donatiſtarum lib. II. adverſus Parmenianum) *docete, ubi vobis mandatum eſt radere capita Sacerdotum, cum e contrario ſint tot exempla propoſita, fieri non debere* [2]. Recte eſt. At mirum Salmaſium, tantae lectionis hominem [3], adeo confidentem fuiſſe, ut hoc teſtimonium in ſenſum prorſus alienum torſerit, quum ſecus neceſſario explicari debere ipſemet noſſet, aut fraudem a noſtris minime reſolvendam praeſumpſerit! Paullo altius cauſſa eſt repetenda. Turpiſſimis criminibus, atque flagitiis contaminatam extitiſſe Donatiſtarum ſectam, nota, teſtata, manifeſta res eſt [4]. Sed caecus furor ſic invaſerat improbos illos, ut Carthagine depoſito Caeciliano, Majorinum Epiſcopum conſtituerint. Quumque Caeciliani ſacrificia impura, & Deo inviſa per ſummam calumniam praedicarent, in ſacras aedes inuſitata rabie irrumpentes Euchariſtiam e conditorio projectam proculcabant, calices, ornamentaque altarium diripiebant, parietes, & pavimenta, velut polluta, novis ſacrificiis eluebant, ac depurgabant. Tum etiam Sacerdotes rite a Caeciliano

1 *Lugduni Batavor.* 1644.

2 Edition. Gabrielis Albaſpinaei *Pariſiis* 1676. & rurſus Ludovici Dupin. *ibidem* 1700.

3 Non ſum neſcius, Menagium ſummis laudibus Salmaſium cumulare, eumque ab omnibus Bailleti accuſationibus vindicare, ſed etſi eruditiſſimum vel ipſe appellem, peſſimum theologum fuiſſe pugnaciſſime defendam. V. *Anti Baillet par M. Menage avec les obſervations de M. de la Monnoye*. *Part* 1. *chap.* 91. *à Paris* 1730.

4 Conſtat ex S. Auguſtino, ipſoque Optato, ejuſdemque enarratoribus Albaſpinaeo, & Dupinio, qui plura in eam rem.

liano inunctos, & conſecratos obſtinate negantes, manus in illos petulanter injiciebant, novacula depilabant, putantes *deriſione* quadam poſſe ſe illos exauthorare [1]. Nihil horum profecto Salmaſium cum Calviniano grege ſuo negaturum exiſtimo. Quid igitur revera reprehendit Optatus? Quid objicit Donatiſtis? Quod vellent impia, ac ſacrilega detonſione Catholicae Eccleſiae Sacerdotes de gradu dejicere, cum nullo modo liceret in *unctos Domini* hac poena animadvertere, cujus ea aetate vix exempla ſuppetebant; ſive ut verbis pauciſſimis dixit Dupinius: *Donatiſtae radebant capita Sacerdotum, quaſi ad auferendam unctionem Sacerdotalem* [2]. Quod ſi Albaſpinaeo mavis credere, qui cenſuit, Donatiſtas capita Sacerdotum deraſiſſe *in ſignum poenitentiae* [3]; conſonum id etiam erroribus ſectae illius, quae inſontes, immerentes, reluctantes poenitentiae legibus per vim ſubjiciebat: quod Optatus, *fieri non debere* prudenter affirmabat. Itaque tota Milevitani Epiſcopi oratio eo redigebatur, ut alterutrum iſtorum Donatiſtis exprobraret, quod contumelioſa illa capillorum abraſione Presbyteros a Caeciliano ordinatos aut praeſumerent dignitate Sacerdotii ſpoliare, & ab ordine iniquiſſime removere, aut vellent tamquam lapſos, & criminoſos in poenitentium numerum cum ignominia amandare; neutrum autem licere, *tot exempla* in libris *propoſita* facile evincebant. Sed haec, quaeſo, quid cum *corona capillitia*, qua *Clerici* inſigniuntur, quum ſacris initiantur, diviniſque myſteriis peragendis devoventur? Adeo inter ſe longiſſime diſtant, adeo ſunt diſparata, ut niſi ludendo, fingendoque fallacias alterum ex altero conſequi poſſit. Quid ergo in hac Sal-

1 Etiam hodie dum ad cutem tonderi ſolent Sacerdotes, quum Sacerdotio privantur. V. Van-Eſpen *Jus Eccleſiaſt. par.* III. *tit.* XI. *de poenis*, *& Cenſuris cap.* I. *Lovanii* 1732.

2 l. c. Quid ſimile perditiſſimo conſilio egiſſe Julianum Apoſtatam legimus, qui ſibi cervicem radi fecit, ut Baptiſmum deleret. Illuſtris Regiae Academiae Pariſienſis conſocius noſter De la Bléterie recte monuit, Julianum ob eam nequiſſimam cauſſam *Taurobolium*, *Criobolium*que percepiſſe; quo & veſaniam, ſummamque ſuam impietatem prodidit. *Vie de l' Empereur Julien Livre* III. *à Paris* 1746.

3 *Not. in Optat.* Poenitentium capita deradi conſueviſſe omnibus compertum eſt, praeſertim ex Canone XV. Concilii Agathenſis, & Canone VI. Concil. Barcinonenſis I. ſub Vigilio PP.

Salmaſiana dialectice mireris, praeter calumniandi libidinem, & incautam calliditatem?

His exploſis, refutatiſque erroribus, relinquitur, ut ſanctiſſimam, veteremque Eccleſiae diſciplinam excutiamus, qua uberius tonſurae antiquitas probetur, & novatorum explodatur accuſatio. Sed non is ego ſum, qui huc velim evocare epiſtolam illam τὴν ψευδογράφον S. Aniceti ad Gallos, quam ab Iſidoro Mercatore hujus Pontificis decretis ſubrogatam Catholici noſtri ſcriptores ſenſerunt, antequam Blondellus [1], & Voſſius [2] de ea quicquam dubitarent [3]. Memoratu tamen digna ſunt verba auctoris *libri Pontificalis*, quo teſte, Anicetus Pontifex conſtitutus an. CLXVII. decrevit, *ut Clericus comam non nutriret ſecundum praeceptum Apoſtoli* [4]. Cautum idipſum, ſanctumque a venerabilibus Eccleſiae Conciliis. Carthaginenſe IV. an. CCCCXXXVI. Anaſtaſio Pontifice, a Leone III. probatum can. XLIV. ſic mandat: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam* [5]. Poſtea vero Concilium Quiniſextum ſub Sergio an. DCXXXXI. can. XXI. ſtatuit, ut quiſquis Clericorum, qui in grave crimen incidiſſet, cujus cauſſa de gradu deponi, nomenque ipſius ex canone, & catalogo expungi debuiſſet, tonſura privaretur. *οἱ ἐπὶ ἐγκλήμασι κανονικῶς ὑπεύθυνοι ..... καθάπερ οἱ λαικοὶ τὴν κόμην ἐπιτρεφέ-*

1 *Pſeudo-Iſidorus, & Turrianus Vapulantes*. *Genevae* 1628.

2 *Epiſtola ad Salmaſium*. *Amſtelodami* 1644.

3 „ Utique Iſidorianum fucum nonnihil „ odorari coeperunt Nicolaus a Cuſa, & Jo„ hannes Turrecremata, geminum Vaticanae „ purpurae lumen, & utriuſque juriſprudentiae, & politioris litteraturae Antiſtes ma„ ximus Antonius Auguſtinus, ut jam primi „ inventi honos Romanae Eccleſiae proceri„ bus non aliis recentioribus tribuendus „ ſit „. Haec Ancyranus Archiep. Juſtus Fontaninus *in Praef. ad Decretum Gratiani tom*. 1. *Romae* 1727.

4 *Vitae Pontif. edit. Blanchinii tom*. 1. *Romae* 1718. Huc addenda Petri Coutantii obſervatio: „ Damaſus epiſt. VI 33. Ordina„ tores culpans Maximi Cynici, qui comatus „ ab eis ordinatus fuerat, ait: non legerant Apoſtolum ſcribentem, vir autem, ſi „ comam nutriat, ignominia eſt illi; ubi „ generale ad omnes viros praeceptum, ſpe„ cialiter ad Clericos videtur referre „. *Epiſtolae Romanor. Pontific. tom*. 1. *pag*. 74. *Pariſiis* 1721.

5 *Tom*. II. *Conciliorum edit. Labbeanae Pariſiis* 1671. Crabbius adnotat, aliquos Codices habere, *barbam* tondeant, alios *barbam radant*, alios neutrum iſtorum, ut ſenſus ſit, *Clerico nec comam, nec barbam nutriendam*. Binius vero affirmat, canonem a S. Synodo editum propter Cathsitarum, & Maſſalianorum ſectarios, qui intonſi comam, barbamque alebant. Similia ſunt in Conc. Agathenſi can. XX. an. DVI. & in Bracharenſi can. II. an. DXL.

τριφίτωσαν. *Qui alicujus criminis canonici rei facti ſunt . . . . . comam nutriant ad inſtar Laicorum*[1]. Quod autem his praeceptionibus invectum fuerat, uſu, actuque ipſo receptum, diuturnaque conſuetudine plane confirmatum eſt. Producendus primo loco Prudentius, qui cooptationem Caecilii Cypriani in Clerum Carthaginenſem deſcribens, ſic cecinit.

Jamque figura alia eſt, quae fuit oris, & nitoris;
Exuitur tenui vultus cute, tranſit in ſeverum;
Deſlua caeſaries compeſcitur ad breves capillos[2].

Nec minus inſigne exemplum Juliani cognomento *τοῦ παραβάτου*, quo morem praecidendi fluentem comam his, qui ſacrae militiae nomen dabant, non tam in Latina, quam in Graeca Eccleſia jugiter obtinuiſſe, oſtenditur. Is enim, ut a Socrate docemur[3], de Conſtantii Imp. animo placando ſollicitus ſacra Chriſtianorum in Eccleſia Nicomediae frequentabat, vitamque Monaſticam ſimulabat; attamen ad *Lectoris* munus obeundum non fuit admiſſus, niſi prius *detonſis ad cutem crinibus*, *ἐν χρῷτι κειράμενος*. Apprime etiam ad rem facit, quod Evagrius (qui hiſtoriam ſcripſit Eccleſiaſticam ab Epheſinae Synodi temporibus, in quibus Socrates deſinit) de Marciano Anthemii filio memoriae prodidit. *καὶ πρὸς τοῦ Βασιλέως ἐς Ταρσὸν τῆς Κιλικίας ἐκπεμφθεὶς, καὶ τὴν κόμην ἀποθέμενος, Πρεσβύτερος χειροτονεῖται*. *Quam ob cauſſam ab Imperatore* (Zenone) *Tarſum Ciliciae amandatus, detonſa coma, Presbyter eſt ordinatus*[4]. Quae ne pro arbitrio a ſe ſcripta putarentur, ſubdit: *γέγραπται ταῦτα κομψῶς Εὐσταθίῳ τῷ Σύρῳ*; *haec quippe omnia ſcripta ſunt eleganter ab Euſtatio Syro*. Quo in loco non poſſum iterum non mirari Salmaſii *λογομαχίαν*, qui, ut ſuis grammaticis tricis nubem rei perſpicuiſſimae offunderet, in una, vel altera vocula putide jocatur, totamquem narrationem Evagrii ſic carpens ex ea id tantum confici ait, Marcianum comam ſibi praecidiſſe, non vero Ca-

K tholi-

1 Ejuſdem editionis.
2 ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝ. XIII. Pariſiis 1687.
3 H. E. *lib.* III. *cap.* I.
4 H. E. *lib.* III. *cap.* XXVI.

tholicorum morê fuiſſe attonſum [1]. At quid iſtud eſt, niſi in re graviſſima ludere verbis, & levidenſes argutationes, & quod dicitur, aranearum telis exiliores contexere? Hujus ferme generis ſunt Rivii ambages, qui hanc ipſam retractans cauſſam [2], iiſdem naeniis, futilibuſque argumentis librum referſit, praetermiſſione potius deſpiciendis, quam apta reſponſione confutandis. Ceteris exemplis a clariſſimis Hallierio [3], & Hadr. Valeſio [4] memoratis in re tam clara ſuperſedebo; quandoquidem hactenus recenſita, *Tonſuram* neque recenti more invectam, nec ab Ethnicis, aut Haereticis profectam, certo, planeque evidenter demonſtrant.

Sed ut ea ratione, ac via ingenue agatur, qua res ipſa proceſſit, equidem primis Eccleſiae ſaeculis id tantum Clericis praecipiebatur, ut breviori eſſent capillo, modeſtiamque toto corporis habitu praeſeferrent. Scilicet, quum ſaeviente perſecûtione latebras captare cogerentur, indultum prudenter fuerat, ne quid oſtentarent, quo vehementius perſecutorum rabies excitaretur. Poſtea vero pace Eccleſiae reddita, ac confirmata, pacatiſque hoſtibus, ſancitum, ut qui in Clerum aggregaretur, praeter decurtatos capillos, raſilem circulum in vertice geſtaret. Huic conſuetudini ſplendide ſuffragatur Concilium Toletanum IV. Honorii I. temporibus, & Iſidoro praeſide an. DCXXXIII. can. XLI. his verbis: *Omnes Clerici, vel Lectores, ſicut Levitae, & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant: non ſicut hucuſque in Galliciae partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut Laici, comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania hucuſque haereticorum fuit* [5]. Sed neque res ſtatim per univerſam Eccleſiam potuit ſic conſtabi-

1 In libro ſuperius laudato.

2 *Chriſtiana libertas circa uſum capillitii. Lugdun. Batav.* 1647.

3 *De Sacris Electionibus & Ordinationib. Append. de Tonſura Clericor. Pariſiis* 1636.

4 *Defenſio de Baſilicis adverſus Launojum. P.* 1. *cap.* IX. *Pariſiis* 1660.

5 „ Conſidera, quaeſo, graviſſimam reprehenſionem adverſus Clericos, qui ita utebantur prolixis comis inſtar Laicorum, ut tamen in ſolo capitis apice modicum circulum tonderent. Eum abuſum mutuatum ab Haereticis in Gallicia declarant Patres Toletani, nimirum, ut credo, a Priſcillianiſtis „. Cardinalis de Aguirre Collect. Magn. Conciliorum Hiſpaniae. *Tom.* II. *notat. ibi num.* 242. *Romae* 1694.

ſtabiliri, propagarique, ut uno temporis intervallo eadem eſſet omnium Provinciarum forma, neque ulla deinde irreperet *Tonſurae Clericalis* diverſitas. Quae tamen varietas neque nobis officere poteſt, nec adverſariis patrocinio eſſe [1]. Quamquam quum ea ipſa tempora recordor, quibus Chriſtianae Reip. oppugnatores maledictis, ſuppliciiſque majores noſtros inſectabantur, coronae capillitiae veſtigia intueor. Pontius Cypriani Diaconus in vita ejuſdem, poſtquam deſcripſit beatiſſimum Martyrem nullum pro Chriſti fide recuſantem neque tormentum, neque dolorem, ſibiquemet caput obnubentem, & ſpiculatorem impavide expectantem, rei narratae hoc epiphonemate acclamat: *ut Cyprianus, qui bonorum fuerat exemplum, etiam Sacerdotales coronas in Africa primus imbueret* [2]. Porro non inficiabor, vocabulum *Coronae* pro *Clericali*, *Sacerdotali*, atque etiam *Epiſcopali* dignitate a ſcriptoribus Eccleſiaſticis uſurpari; ex quo mos ille profluxit Clericos, Presbyteros, Antiſtiteſque compellandi per coronam [3], & formulae deductae ſunt = *Precor coronam tuam* = *Auctoritas coronae tuae* = *conſulere ſtatuimus coronam tuam* = *&c.* [4] quibus Auguſtinus ipſe uſus eſt [5]. Sed illud quaero, undenam illae enatae ſint, & quare tum retentae, quum de Clericis, Presbyteris, & Epiſcopis ſermo eſſet? Procul dubio quia corona capillitia fuerat certum quoddam, proprium, & conſtans illorum inſigne. Non poſſum igitur Johannis Felli Epiſcopi Oxonienſis judicium probare, qui, ut tonſurae antiquitatem elevaret, inquit, Cypriani *coronas non ex calvitio, ſed ex virtute quaeſitas* [6] intelligi oportere. Cur Pontius, ceteris miſſis vocibus, quibus Sacerdotalis amplitudo,

 ſan-

1 Thomaſſinius *V. & N. D. lib.* II. *cap.* XXVII. Sirmondus *in epiſt. Sidonii lib.* VI. *ep.* III. *Pariſiis* 1652.

2 Edit. Opp. Cypriani *Oxonii* 1682.

3 V. Johannem Behmium *de antiqua ratione compellandi Epiſcopos per Coronam. Regiom.* 1712.

4 Alius id genus recenſet Savaro ad Sidonium *loc. cit.*

5 *Epiſtola ad Procilianum*, alias CXLVII. edit. Monach. S. Mauri. Praeter Auguſtinum, iiſdem verbis vel Epiſcopos, vel Rom. Pont. compellarunt Hieronymus *epiſt.* LXXXI. edit. Pariſ. Paullinus *ep.* XVIII. *ed.* Le Brun. Braulio Caeſarauguſtanus *ad Iſidorum Hiſpal. in Hiſpania Illuſtrata tom.* II. Ennodius *epiſt.* XXII. *ad Symmach.* edit. Sirmondi. Marculfus *in Formulis lib.* I. *form.* XXVI. edit. Baluzii.

6 In adnotat. ad editionem nuper memoratam.

ſanctitas, virtus, multo perſpicujus exprimi poterat, hoc unum delegit verbum, niſi quia jam a temporibus illis capilli Sacerdotibus ſic praecidebantur, ut parvula corona relinqueretur? Accedit ſermonis proprietas, quae μεταφορικῇ locutioni eſt anteponenda. Nam Cyprianus ſecuri percuſſus, & capite obtruncatus coronas Sacerdotales ſanguine ſuo reſperſiſſe vere, proprieque dici poteſt; ſed virtutem cruore *imbuiſſe*, nonniſi tranſlate, & ſenſu a Pontii oratione nimis alieno.

Haec dum exequor, ad vetera monumenta tacite me rapi ſentio, quibus haec una Eccleſiae Catholicae conſuetudo mirifice oſtenditur: movemur enim neſcio quo pacto, plurimumque afficimur earum imaginum aſpectu, in quibus noſtros mores, noſtras leges, noſtras caeremonias pictas, ſculptasve intuemur. Ac primo memoratu digniſſima ſeries Chronologica Romanorum Pontificum a S.Petro ad Innocentium I. in pariete auſtrali Baſilicae Oſtienſis olim deſcripta, aetate vero ſqualida, & fatiſcens, priſtino decori, majeſtatique a Benedicto XIV. reſtituta. Hanc ſane pennicillo depictam, dum Pontificatum gereret Innocentius I. auctamque deinde a Leone Magno & Symmacho PP., nempe volvente ſaeculo v., indiciis omnibus, notis, atque argumentis Blanchinius [1], eoque facem praeferente, Marangonius [2] demonſtravit. Atqui in ea Pontificum coma frequenter ita detonſa conſpicitur, ut capilli coronam circumquaque efficiant. Rurſus Muſivae picturae in SS.Coſmae, & Damiani, & S.Laurentii in agro Verano opus ſaeculi vi. Felicem IV. & Pelagium II. clericali corona ornatos exhibent. Atque ſic deinceps vii. & viii. ſaeculo Pont. effingi conſueviſſe ſacra Urbis monumenta condocefaciunt [3]. Jam vero illud quaeram, quamobrem

1 *In Prolegomen. ad Anaſtaſium tom. II. Romae* 1724.

2 *In Proleg. ad Chronol. Baſilic. Oſtien.*

3 Monumenta huc pertinentia, temporum ratione ſervata, enumerat illuſtris Garampius in egregio opere, cui titulum fecit. *De Nummo argenteo Benedicti III. cap. v. §. v. Romae* 1749. Cum Romanis ejuſmodi antiquitatibus plane conſentiunt exterae picturae, aliarumque regionum monumenta. Raſili corona inſignitur vetus imago S. Apollinaris edita a Cl. Mauro Sartio Camaldulenſium Monachorum Abbate, viro inclyto, & apprime docto. *De veteri Caſula Diptycha cap.* 11. *Faventiae*

obrem Middletonius, qui omnes vetuſtatis reliquias ſe Romae obſervaſſe gloriatur [1], in epiſtola ſua haec occultet, taciſque praetereat? Cur a ſuorum oculis removeat? Nonne ſubleſtae, corruptaeque fidei ſe ſcriptorem prodit? Sed quo ſtudioſius ab illo veritas opprimitur, & abſconditur, eo magis eminet, & apparet. Poſtremo *myſticas* eſſe cauſſas novi, quae a noſtris afferri ſolent, ad hujus ritus ſignificationem commendandam. Circulum crineum Sacerdotes geſtare vice ſpineae coronae Jeſu Chriſti, dixit ſanctiſſimus Conſtantinopolitanus Patriarcha Germanus II., qui claruit Leone Iſaurico imperante [2]. Tonſuram initium ſumpſiſſe ab uſu, inſtitutoque Nazaraeorum, qui ex legis juſſu capillos radebant, Iſidoro Hiſpalenſi, Honorio Auguſtodunenſi, aliiſque [3] perplacuit. Sunt qui perhibent, geſtari a Presbyteris in memoriam decalvationis Apoſtoli Petri [4]. Etiam ab Apoſtolo Paullo, qui *totondit in Cenchris caput*, ritum hunc, & morem commode acciri poſſe, fretus auctoritate ipſius Germani, & Theophylacti oſtendit Vincentius Riccardus inter noſtros Theatinos vir oppido litteratus, rerumque Graecarum ſcientiſſimus in aureis enarrationibus ad *Analecta S. Procli Archiepiſco-*

tiae 1753. Raſa effigies S. Leopardi in perantiqua lamina argentea exſculpta. (*Memorie di S. Leopardo, Veſcovo di Oſimo di Domenico Panelli. Peſaro* 1755.) Similiter imago S. Petri Urſeoli in Moſivo Baſilicae Marcianae. (Fontaninius *ubi ſupra*). Nec aliter pinguntur Monachi S. Martini Metenſis in Codice a Viviano Abbate Carolo Calvo oblato apud Baluzium. (*Capitular. Reg. Francorum tom.* II. *Pariſiis* 1678.) Itemque Monachi Fuldenſes penes Browerum. (*Antiquitat. Fuldenſes lib.* II. *c.* XUVI. *Antuerpiae* 1612.) Adde S. Lindani Sentinorum Epiſcopi effigiem a Dominico Georgio productam. (*Diſſert. Hiſtor. de Cathedra Epiſcop. Setiae. Romae* 1727.) Confer praeterea picturam antiquam adjectam Sacramentario Cathedralis Auguſtodunenſis, ante mille annos deſcripto litteris Merovingicis. (*Voyage litteraire de deux Benedictins P.* 1. *pag.* 153 *à Paris* 1717.) Veteres imagines SS. Marci, & Hermagorae pictas in apſide aediculae ſubterraneae Eccleſiae Aquilejenſis (*Le antichità di Aquileja ſacre, e profane di Giandomenico Bertoli Tab.* DXUXII. *Venezia* 1729.) Et quas Actis S. Magni Epiſcopi Tranenſis explicandis ex Anagninae Eccleſiae monumentis deprompſit illorum enarrator (*Acta S. Magni Tab.* II. *& ſequ. Aeſii* 1743.) Sed longum eſſet perſequi ſingula; nulla quippe urbs eſt, quae id genus monumenta non objiciat ſpectanda.

1 In libro ſuperius relato.

2 *Theoria rerum Eccleſiaſticarum. Bibliotheca PP. Lugdun. tom.* XIII.

3 Iſidor. *lib.* II. *de Eccleſiaſticis Officiis. Coloniae* 1617. Honorius Auguſtodunenſis *de Gemma Animae P.* 1. *cap.* CCCIII. Perſuaſum id ipſum Patribus Concilii Aquiſgranenſis an. DCCCXVI. ut in actis ejuſdem *cap.* 1.

4 Petrus Bleſenſis *Comment. in Job. cap.* I. *Pariſiis* 1667. Honorius *ubi ſupra*. Rabanus Maurus *de Inſtitut. Cleric. lib.* 1. *cap.* II. *Coloniae* 1627.

piſcopi CP.[1] Aliis illud potius probatur, tonſura capillorum Presbyteros admoneri, ſuperflua, & vana omnia illis fore abjicienda, quemadmodum legitur in vetuſto Canonum codice Bibliothecae Cotoniacae apud Armachi Archiep. Vſſerium [2]. Sed quamvis haec probabilia ſint, & prope vera, ſuis momentis ea ponderare noſtra non intereſt, qui vindicias ſcribimus, non catecheſes, nihilque niſi certiſſimum afferre deliberavimus.

Poterat hic ſcriptioni finis fieri, ſed revocat pene ſublatum ſtylum Jacobus Martinius, qui ſemper nova, peregrina, indictaque meditans, ut ceteris acutius vidiſſe putetur, tonſurae originem altius repetit, eamque Religioni coaevam in divinis libris ſe unum tandem deprehendiſſe jactat [3]. Sed facile eſt, hominem ingenio immoderato ſubtilitate ſua decipi, & ſubſulgida veri ſpecie tranſverſum agi. Eſt autem ratiocionationis illius haec ſumma. ,, Primordia, ,, inquit ille, hujus caeremoniae jamdudum exquiruntur, ſed ,, diuturnae inquiſitioni ſucceſſus minime reſpondit [4]. Nam ,, qui myſticas afferunt cauſſas, id ex verae, germanaeque ,, originis ignoratione certe praeſtant ,, . Audiamus ergo quid ille non myſticum, certumque proferat. ,, Praesbyteri ,, novae legis (pergit Martinius) jura Sacerdotum tum veteris Teſtamenti, cum omnium Religionum ſibi adoptarunt. Sciebant noſtri profecto, coronas nihil aliud eſſe, ,, niſi infulas, & velamenta, quibus veteres caput obnubebant, & ligabant, dum ſupplicibus orabant verbis, ut declararent, velle ſe irati numinis animum flectere, ejuſque opem implorare. Igitur quum Presbyteri Chriſtianorum hoc ſibi impoſitum noſſent onus, ut populi vota ,, Deo exhiberent, eam praeſeferre ſpeciem oportere credi- ,, de-

1 S. *Procli Analecta a Vincentio Riccardo ex inſignium Bibliothecarum penu eruta nunc primum G.L. edita. Comment. ad orat. xix. Romae* 1630.

2 *In Catal. Sanctorum Hiberniae lib. de Primord. Eccleſiarum Britannicarum. Dublini* 1639.

3 *Explications de pluſieurs textes difficiles de l' Ecriture, qui juſq' a preſent n'on été bien entendus, ni bien expliquez par les Commentateurs. Par le R. P. D. Religieux Benedictin de la Congr. de Saint Maur. tom. 1. Explication* cxv. *à Paris* 1730.

4 *On la cherche depuis long-tems, ſans preſque aucun ſuccès.*

„ derunt, quae homini ſupplicationes fundenti conveniens „ eſſet; ſicque coronae figuram retinuerunt, ut praecipuum „ Sacerdotalis officii munus ſe perpetuo gerere oſtende„ rent „. Quare autem capillitiam coronam delegerint, ea maxime ex cauſſa eveniſſe ſubdit. „ Quum deſaeviente per„ ſecutione Presbyteri prae ceteris Ethnicorum furori obno„ noxii eſſent, ut ſe tantis eriperent malis, ſed inſimul, „ quod dignitati eorum debitum erat, retinerent, coro„ nam non auream, non argenteam, non ſericam, ſed ca„ pillitiam ſibi fecerunt, quam facile pileo, palliove oc„ cultare poterant „. At quam futilis, & frivola ſit omnis iſthaec argumentatio, caudex, ſtipes, plumbeus plane ſit, qui continuo non videat. Nam ſi corona capillitia infulae, & ſtrophio, quo antiquorum Sacerdotes caput inter precandum obligabant, alludit, ergo myſtica illius ſignificatio. In illud igitur ipſum ignorantiae crimen, quod ceteris ſcriptoribus Martinius exprobrat, volens nolens compellitur. Illud etiam ineptiſſimum, & falſum, Chriſtianos Sacerdotes crineum circulum aliis coronamentis praetuliſſe, quod ad mortis diſcrimen vitandum poſſent illud facilius celare. Male profecto ſaluti, vitaeque proſpexiſſent ſuae, quum pallio, pileove vix detracto, manifeſtum prodiiſſet indicium, quo ad mortem, aut ad tormenta raperentur. Contra vero nullum ſubiſſent periculum, ſi more veterum Sacerdotum velamen aliquod, mobilemque geſtaſſent coronam, quae levi manu detrahi, abſcondi, & ab Ethnicorum conſpectu ſubmoveri poterat.

Mirificam antilogiam, & tantarum rerum repugnantiam hac tandem cumulat concluſiuncula extra modum abſurda. Vt coronam Sacerdotalem Chriſtianae Religioni ἡλικιώτην invicte probet, illud Apocalypſeos c. IV. v. 10. fidenter nobis oggerit, ubi legitur Πρεσβυτέρυς, *ſeniores populi* coronas ante thronum Agni depoſuiſſe. Atque haec ἑρμηνεία adeo arguta Martinio viſa eſt, adeo bella, adeo nervoſa, ut ſibi ipſi plaudens ſic concludat: „ En itaque origo coronae Praesbyte„ rorum novae legis teſtimonio Johannis Evangeliſtae de-

„ mon-

„ monſtrata [1] „. Riſimus ſane novi interpretis novam divinationem, qui dum figuratum ſenſum averſari ſe profitetur, eo ipſo loci hujus explicationem repetit ex libro, qui totus aenigmatis, & allegoriis ſcatet, *& infinita futurorum myſteria* [2] per arcanas imagines deſcribit! Neque etiam intelligo, qua ratione Presbyteri novi foederis cum ſenioribus illis apte comparari poſſint, qui coronas ad Agni pedes poſuiſſe dicuntur. Si enim geſtandae coronae exemplum illi praebuerunt, quare noſtri talem deferunt, quae nequit obſequentis animi cultu de capite detrahi, & ante Agni, aeternique Dei Filii thronum religioſa imitatione, decentique reverentia conſtitui? Conſultius igitur, & longe veroſimilius totum id a graviſſimis, doctiſſimiſque Patribus accommoda admodum interpretatione ad ſtrenuiſſimos primaevae Eccleſiae Martyres referri ſolet, qui omnes ſuppliciorum acerbitates complexi, circumciſis membris, in cauſſa fidei animam profuderunt; ideoque immarceſcibile ſertum adepti ſunt, & meliori redimiti tempora lauro circa Agni thronum laetabundi ſteterunt, omnemque ſpectabilis victoriae laudem Chriſto Martyrum principi referentes acceptam, coronas ſuas eidem, more triumphantium, in beata coeli regia dicarunt. Sed tandem ad balnea, a quibus delapſa eſt, noſtra ſe iterum referat oratio.

CA-

1 Pag. 387. 2 S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum cap.* 1V.

CAPVT NONVM.

Balneorum uſum apud veteres Monachos, adventantibus feſtis diebus, ſollemniori cultura peragendis receptum fuiſse, demonſtratur ex antiquis illorum legibus. Concordia S. Dunſtani, Statuta Lanfranchi, Conſtitutiones Hirſaugienſes, Conſuetudines Cluniacenſes laudantur. S. Etheldredae inſigne exemplum. In Monaſteriis balnea huic religioſae caeremoniae perficiendae conſtructa indidem colligitur. Charta Tarbejenſis, Diſciplina Guidonis, Sanctiones Burſfeldenſes hac de re agentes recenſentur. Balnea in Monaſterio Vivarienſi a M. Caſſiodoro aedificata. Sicelgaitae donatio Caſinenſibus facta pro balneo conſtruendo. Contraria argumenta a Magio V. C. ad hanc conſuetudinem labefactandam propoſita diſcutiuntur. De bicolori Monachorum habitu curſim agitur ad noſtrae picturae explanationem.

NVLLAE propemodum ſunt ſacrorum caeremoniae ad colendum Deum inſtitutae, nullae religioſae conſuetudines ad pietatem fovendam excogitatae, quas ſanctiſſimus veterum Monachorum coetus coeleſti plane ductu non invexerit, vel auxerit, vel propagarit. Sed quamvis univerſa Eccleſiaſticae diſciplinae, ac Liturgiae ratio a Monachis ſi minus profecta, certe amplificata ſit [1], attamen vix alter ritus fuit ab illis ſtudioſius, aut conſtantius retentus, quantum ſacrae lavationes, quae ſtatis anni temporibus piae, legitimaeque munditiei cauſſa eiſdem praeſcribebantur; ut ſapien-

1 Quum per plura ſaecula Monachi Eccleſiis adminiſtrandis jugiter darentur, eorum Abbates Epiſcoporum vices gererent, Monachi Epiſcopi crearentur, iidemque *Canonicorum* locum obtinerent, Epiſcopium, templumque princeps, ſeu, ut ajunt, *Eccleſia Cathedralis* quandoque *Monaſterium* appellaretur, ut eſt apud Paullum Langium *in Chronico apud Piſtor. tom.* 1. Cennium *Antiquitat. Eccl. Hiſpan. tom.* II. *Romae* 1741. *&c.* Calmetium, *Commentar. ſopra la Regola di S. B. Arezzo* 1751, omnis ſacrorum rituum obſervatio, atque cuſtodia illorum ſtudio, ac pietati videbatur commendata. Multa proinde in *Divinis Officiis* invexiſſe perhibentur, ut horarias preces in honorem Deiparae, anniverſaria ſacra pro defunctis, feſta complura, Martyrologii lectionem, flagellationes, pileolum quadratum, *Breviarii* nomen &c. V. Bonifacium Moguntinum *epiſt.* CVI. *Moguntiae* 1629. Bucelinum *Annal. Ord. S. Benedict.* P. II. *Auguſt. Windel* 1656. Puccinellum *Trionfo Benedettino, Milano* 1628.

pienter fecerit noſtri ſchematis pictor, qui in balneo, praeter Epiſcopos, & Clericos, duos illos Aſcetas ſeorſum ſedentes effinxit. Tractationem itaque noſtram Monachorum ritus mirifice adjuvant, propoſitamque a nobis de balneorum apud Chriſtianos uſu ſententiam copioſe, nitideque confirmant. Hujus quidem moris teſtimonia magno numero congeſſere viri eruditi, praeſertimque Johannes Turrecremata [1], Franciſcus Bivarius [2], Hugo Menardus [3], Benedictus Haeftenus [4], Edmundus Martenius [5], Marquardus Hergottus [6]. Non omnia, quae in illorum libris diſperſa, ac diſſipata ſunt, nunc ego recolligam, aut huc comportabo; ſplendidiora tantummodo decerpam, & rei declarandae commemorabo. Atque ut exordiar a S. Benedicto, qui quum hunc hominum Ordinem apud Latinos certis legibus, inſtitutiſque adſtrinxerit, merito Monachorum parens dicitur, quid ille juſſerit, diſpiciamus. Is quidem infirmis, quoties opus eſſet, *ſanis, & juvenibus tardius* balneorum uſum concedendum edixerat [7], ut nonniſi ad aegritudines tollendas, vireſque inſtaurandas permiſiſſe videatur. Verum pietatis cauſſa deinde obtinuiſſe, & lotionem inter religioſas Monachorum caeremonias eſſe adnumerandam, tum veteres illorum tabulae, cum illuſtrium virorum geſta manifeſto probant. Et vero lege apud illos ſancitum legimus, ut ante eos dies, qui in Faſtis, tamquam celeberrimi, & ſanctiſſimi ſunt conſignati, omnique proinde cultu tranſigendi, lavatio perageretur. Regula S. Benedicti Anianenſis *balnea per feſtas ſollemnitates praeparari* mandat [8]. Rurſus Concordia S. Dunſtani: *Crucis vero veneratione peracta* (in Paraſceve) *quibus vacuum fuerit, miniſtri, & pueri ſe radant, & balneent, ſi tanta fuerit ſocietatis cohors, ut Sabbati craſtini ad hoc*

1 *In Regulam S. Benedict. Adnotationes.* Cap. VII. Tract. XCIX. Coloniae 1575.

2 *De Veteri Monachatu, & Regulis monaſticis.* Lugduni 1662.

3 *Concordia Regularum auctore S. Benedicto Anianae Abbate ex Biblioth. Floriacenſi.* Pariſiis 1638.

4 *Monaſticar. Diſquiſitionum libri* XII. *quibus S. Benedicti Regula, & religioſorum rituum antiquitas varie dilucidantur.* P. II. lib. XI. Tract. V. Diſquiſit. VI. Antuerpiae 1644.

5 *De Antiquis Monachorum ritibus libro* III. Lugduni 1680.

6 *Vetus Diſciplina Monaſtica* Pariſiis. 1726.

7 Reg. XXXVI.

8 Cap. XII. §. XXVI. apud Menard.

ad hoc non ſufficiat [1]. Ex quo intelligas, ad ſancta Paſchae ſollemnia pure celebranda praegreſſa lotione Monachos ſe ſe comparaſſe, ne quid immundum, ſordidumve ad eum diem afferrent. *Quamobrem Amâtus Habedenſis balnearum fomentis bis tantum in anno utebatur, ante ſanctum videlicet Domini natalis diem, ejuſque ſanctae Reſurrectionis Paſcha* [2]. Praeceptum id ipſum legitur in Lanfranchi Statutis ad hunc modum: *Vigilia S. Thomae Apoſtoli, ſi dies Dominicus non fuerit, radantur fratres, & ſic balneentur, ut duobus diebus ante Dominicam Nativitatis omnes ſint balneati*; & capite XII. *Feria* III. (magnae Antepaſchalis hebdomadae) *radendi ſunt fratres, & in craſtino debent eſſe balnea praeparata* [3]. Neque temporum longinquitas in oblivionem adduxit S. Willelmi nomen, qui pro diſciplina tuenda, legibuſque inſtituendis plurimum allaboravit, a quo in Conſtitutionibus Hirſaugienſibus ſimiliter decernitur: *hominibus eſt familiare, poſtquam raſerint, continuo balneare; ſed de noſtris balneis non eſt multum, quod loquamur. Duabus enim vicibus tantum in anno, & tunc ſine licentia, qui vult balneet, ideſt ante Nativitatem Domini. & ante Paſcha. Alio quovis tempore cum licentia quiſque balneare poterit* [4]. Cum his legibus ſumme congruunt antiquiores Conſuetudines Cluniacenſes, S. Vdalrico collectore lib. III. cap. XVI. quod eſt *de Balneis* [5]. Conſtans id adeo fuerat apud Monachos, ut nec Aſcetriae ipſae, Virgineſque Deo dicatae balneum praetermitterent his advenientibus diebus, qui feſto ritu, ſollemniori cultura, omnique decentia eſſent celebrandi. Exemplo ſit, quod in vita S. Etheldredae Reginae, & inſignis Parthenonis praeſidis relatum legitur. *Poſtquam Monaſterium ingreſſa eſt, ... raro in calidis balneis, praeter imminentibus majoribus ſollemnitatibus v. g. Paſchae, Pentecoſtes, Epiphaniae, lavari voluit* [6].

1 *Cap.* III. Menardus ibi.

2 Ibidem.

3 Martene *lib.* III. *cap.* III.

4 *Conſtit. Hirſaugienſes, ſive Gengenbacenſes lib.* II. *cap.* XLI. apud Hergottum in *Diſcipl. Mon.*

5 *In Spicilegio Veter. Scriptorum* Lucae Dacheril *tom.* IV. *Pariſiis* 1661.

6 Beda *Hiſtor. Eccleſ. gentis Anglorum lib.* IV. *cap.* IX. edit. *Cantabrigiae*, curante Joh. Smith. 1722. Exſcripſit Cl. Mabillonius *Annal. Ordin. Sancti Benedicti tomo* I.

Quanta vero fuerit venerabilium Aſcetarum ſollicitudo, & cura, ne ſuis coenobiis balnea deeſſent, multis, praeſtantiſſimiſque documentis erudimur. Primum eſto charta Tarbejenſis, in qua Monachi id ſibi depoſcebant a beneficis hominibus, *ut Eccleſiam in honorem B. Mariae aedificarent, & manſiones balneis competentes ibi ſervarent* [1]. Idem liquidiſſime demonſtrat *Diſciplina Farfenſis* Guidonis, qua praecipitur, ut ante triclinium *duodecim cryptae ſint, & totidem dolii praeparati, ubi temporibus conſtitutis balnea Fratribus praeparentur* [2]. In ea pariter ſententia fuiſſe video auctorem Sanctionum Burſfeldenſium, cujus verba juverit exſcribere. *In ſingulis monaſteriis noſtris habeantur ad balneandum convenientia aeſtuaria, aut vaſa ampla coopertoriis deſuper clauſa* [3]. Noverat procul dubio hanc conſuetudinem piiſſimus M. Caſſiodorus, qui Monachorum inſtituta, modoſque vivendi apprime callebat. Quare poſtquam Monaſterium Vivarienſe prope Scyllacium, quum Lucanis, & Brutiis eſſet praepoſitus, impenſa ſua condidiſſet, ita de ſe gloriabatur. *Balneas quoque congruenter praeparatas corporibus juſſimus aedificari. Ubi fontium perſpicuitas decenter illabitur, quae potui gratiſſima cognoſcitur, & lavacris* [4]. Neque in poſtremis habenda *Sicelgaitae Duciſſae* largitio, quae Monaſterio Caſinenſi, Leone Oſtienſi auctore [5], *quinque libras*

mo I. *lib.* XVI. §. XXII. *Pariſiis* 1703. Typicon Irenes Auguſtae editum inter *Analecta Graeca tom.* I. *Pariſiis* 1688. *cap.* LXVIII. Graecis virginibus ſic praecipit: λοιπὸν δὲ ἂν εἴη καὶ περὶ λουτροῦ διαλαβεῖν. κελεύομεν οὖν λούεσθαι τὰς ὑγιαινούσας μοναζούσας καθ' ἕκαστον μῆνα· αἱ δὲ νοσοῦσαι, ὁσάκις ἂν ὁ τῆς νόσου διαγνώμων ἰατρὸς συμφέρον ὑπάρχειν εἴποι τὸ λούεσθαι, ὅτι καὶ περὶ τὴν κατάλληλα τῇ νόσῳ λαμβάνειν τροφήν. *Reſtat, ut de balneo agatur. Jubemus itaque, ut bene valentes Monachae ſingulis menſibus laventur, aegrae vero, quoties morbi peritus medicus lotionem utilem eſſe dixerit, qui etiam morbo congruentem victum indicabit.*

1 Mabillonius *Annal. Bened. tom.* III. XLIV. §. LXXXI. *Pariſ.* 1705.

2 Apud Hergottum libro ſuperius indicato.

3 Haeſtenus *ubi ſupra*.

4 *Divinar. Lectionum cap.* XXIX. edit. Garetii *Rhotomagi* 1679.

5 *Chronicon Caſinenſe lib.* III. *cap.* LVIII. Vide in eodem opere excurſum Angeli a Nuce *de ſella Balneari lib.* IV. *Luteciae* 1668. Et quoniam in Monaſticis balneis deſcribendis verſatur oratio, unum placet monere. Inter arcanas inſcriptiones illa recenſenda, quae Neapoli in cavaedio Monaſterii S. Domenici Majoris viſitur, quae incipit NIMBIFER ILLA DEO MICHI SACRUM ONVIDIT OIIAIM &c. Lapidem hunc repertum anno MDLX. explicare conatus Fr. Cyprianus de Gregorio Ord. Praed. libello de ea re edito; *La Ciſterna diſcoperta &c. Napoli* 1668. multa conſuit, ſed omnia ridicula, quibus majores offudit tenebras. Vulgarunt deinde Muratorius in Novo Theſauro tom. IV. MCMLXXXV. & amicus noſter Franciſcus M. Bonada in nova Anthologia *tom.* I. *Claſſ.* I. *inſcript.* XVI. *Romae* 1751. Oedipo conjectore eſſe opus, vel ipſe fatebor. At ſi qua id ſaltim de aquis illic collectis conjectando aſſequi

bras auri dedit pro balneo conſtruendo. Jam quis dubitet, balnea ejuſmodi, de quibus Monachi adeo ſolliciti fuerant, non ad naturalem munditiem tantum, ſed ad religioſam caeremoniam fuiſſe comparata? Omnium igitur fide, & auctoritate certum eſt, Coenobitas ſua balnea intra monaſteriorum ſepta habuiſſe; & quum tenues erant opes, & exigua res familiaris, puto, thermis illis uſos fuiſſe, quas Epiſcopi convenienti, aptoque loco pro univerſo Clero curaverant exſtruendas. Quapropter duos illos Monachos, qui hoc Puteolanae, vel Miſenatis Eccleſiae balneum adiiſſe finguntur, aſceterium inhabitaſſe his urbibus proximum, conjicere proclive eſt.

Sed fieri minime poſſe intelligo, ut cuivis legenti faciam ſatis, & diligentiſſimum antiquitatis, verique inveſtigatorem me probem, niſi graviſſima rationum momenta, quae a V. C. Franciſco Magio, inclyto, & erudito Ordinis mei alumno contra afferuntur, validis, aptiſque reſponſionibus excluſero, aut infirmaro. Celebris hic Siculus ſcriptor non tam multiplici ſua doctrina illuſtris, quam virtutibus omnibus ſic inſtructus, ut merito dici poſſet coeleſti ſpiritu auctus homo, in libro de *Sacris Caeremoniis* [1] tota diſquiſitione octava id agit, ut probet non licere viro Religioſo balneis uti. Omnis autem probationis, & ſatis fuſi ſermonis περιβολὴ, ſi quid recte intelligo, in duo capita diſtrahitur. Scilicet homini, qui ſe totum Deo dicavit, & ſanctiſſimum vitae genus delegit, duo maxime videntur balnea vetare, honeſtas, & continentia. Primum accerſit Magius ex *Regula S. Auguſtini cap.* XXII. ubi ab Vmberto laudantur *qui numquam balneis utuntur pro quacumque neceſſitate, quia id reputant nimis verecundum, quum non poſſit fieri ſine denudatione; pudicae vero mentes ſic erubeſcunt hanc nuditatem, ut non ſolum coram aliis, ſed nec etiam ſolae poſſint eam ſuſtinere*. Deinde quum religioſos viros eo robore animi, ea indole virtutis, ea demum continen-

aſſequi licet, dicam, ampliſſimam illam eſſe nam, poſitam olim prope conclave epulare, fuiſſe aedificatam a Monachis S. Benedicti, qui coenobium antiquitus incoluerunt, nedum in domeſticos uſus, ſed forte ut balneis aquam jugiter ſuppeditaret. Cui quidem noſtrae conjecturae favet locus *Diſciplinae Farfenſis* ſuperius relatus.

1. *De Sacris Caeremoniis Diſquiſitiones Panormi* 1651.

nentia eſſe oporteat, ut voluptates reſpuant, deliciaſque aſpernentur, quis umquam putaverit, inquit noſter, eſſe illis concedenda balnearum fomenta, quibus ſopitos ignes ferventis aetatis ſuſcitari, caloremque corporis augeri Hieronymus ad Ruſticum epiſtola IV., & ad Laetam epiſtola VII. diſerte ſcribit? Moveri etiam ſe plurimum, ait Magius, auctoritate tum ipſius Hieronymi, cum Palladii Galatae, a quorum altero in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ab altero in hiſtoria Eremitica ad Lauſum praeclara tribuitur commendatio Jacobo Apoſtolo, Evagrio, Silvaniae, Iſidoro, quos ingentia facta, ſolidumque virtutis opus in coeleſtium numero collocarunt, *quod numquam balneo uſi eſſent*. Tandem quid diſtrictius inhibuerunt ipſa Monachorum decreta, conſultave? Vt de multis unum afferam, ſatis idoneus auctor Iſidorus Hiſpalenſis, qui in *Regula* cap. XXI. ſic habet: *lavacra nulli Monacho adeunda ſtudio lavandi corporis*. Gravis, & ſplendida, fateor, omnis iſthaec oratio; verumtamen neque tanta illius vis, neque tam arcta, & ſubtilis concluſio, ut cauſa penitus nos concidiſſe credamus. Nam ad honeſtatem quod attinet, pudori, ac modeſtiae profecto conſuluerunt tum Farfenſes, qui balnea in XII. ſeparatas cryptas dividi juſſerunt, tum Burſfeldenſes, qui vaſa ſuis *coopertoriis deſuper clauſa* pro lavatione parari voluere. Eo fortaſſe alluſit ſchematis pictor, duplicique arcuato fornice, ut auguror, diverſas balneares cellulas ſubindicavit, in quas quiſque poſſet ſeorſum ſe recipere. Et quamvis ille religioſos homines in hocce balneo nonniſi panno, & ſubligaculo amiciverit, nullus dubito, eos plerumque illam modeſtiam, illam verecundiam, illud decus tenuiſſe, quod ſanctiſſima femina Olympias adhibuit, de qua Palladius Epiſcopus Helenopolitanus tradit: *τῷ χιτωνίσκῳ τοῖς ὕδασι καταβαίνει αἰδουμένη καὶ ἑαυτὴν, ὡς φασίν*; *cum induſio in aquam deſcendit, ſe quoque ipſam, ut ajunt, verita* [1]. Quod vero ad continentiam attinet, quum nulli liceat naturam ad libidinem prima mali labe pro-

[1] *De Vita S. Johannis Chryſoſtomi Dialogus fol.* 165. cura, & ſtudio Emerici Bigotii *Lutetiae Pariſior.* 1680.

be proclivem novis deliciis incitare, multo minus iis, qui ſe Deo ſollemni Sacramento, votoque obligarunt. Peſſimum ii certe facinus patrabunt, ſi balnea adeant voluptatis cauſſa, & *ſolo lavandi ſtudio*, ideſt nimia, & affectata politura. Verum ſi ab ipſis Auguſtino [1], & Iſidoro [2] balneorum uſus Monachis permiſſus eſt ob adverſam valetudinem, nec de eo *murmurandum, quia non ſit propter appetitum voluptatis* [3]; quis illis lavationem deneget, quae ad ſacra purius ſuſcipienda, celebrandaque adhibebatur? Neque illud gravate concedam, fuiſſe Aſcetas, quibus foedior corporis habitus perplacuit; & ſatis nota exempla eorum, qui nihil ſibi laxamenti concedentes omni afflictatione, ſquallore, macie, cruciamentis, immunditia etiam ſe ſe conterebant. Secus tamen conſueviſſe alios, qui operibus ſuis aditum ſibi in coelum inſtruxerunt, ex his, quae hactenus retulimus, ſine ulla dubitatione apparet; proindeque novimus, balnea, ſi probabilis cauſſa flagitaret, libere illos frequentaſſe. Demum illud non eſt diſſimulandum, variam fuiſſe Monachorum diſciplinam; at ſi aliquibus illorum lotio fuerat perraro vetita, ceteris communiter conceſſa, vel expreſſe imperata.

Haec poſtquam peregimus, nihil jam de Monachis ſupereſſet dicendum, niſi paulliſper nos ſubſiſtere juberet bicolor veſtis, qua in ſchemate noſtri donantur; utrumque enim amictum videmus tunica, ſive colobio albo, ſcapulari vero, ſeu analabo fuſco, & nigrante. Porro ſi veteres Anachoritas intueor, Graecoſque Monachos, qui per diverſas Orientis regiones aut vitam in deſertis locis ſolitudini mandarunt, aut conjunctis cellulis, communi victu, collatiſque ſtudiis Deo inſervierunt, utriſque atrum pallium, pullamque veſtem uſu fuiſſe certiſſime conſtat. Syneſius Epiſcopus Cyrenes Monaſticum indumentum appellat *φαιὸν τριβώνιον* [4], Cyrillus Hieroſolymitanus *μέλανα τὰ ἐνδύματα* [5], Athanaſius [6] ἐπεν-

1 *Regul. cap.* XII. *In Codice Regularum* Lucae Holſtenii *parte* III. *Pariſiis* 1663.
2 *Reg. cap.* XX. In Holſtenio *parte* II.
3 Iſidorus *ibidem*.
4 *Epiſt.* XCV. edit. Petavii *Pariſiis* 1612.
5 *Hiſtor. Eccleſ. & Myſtagog. num.* XXI. *Oxonii* 1703. curante Milles.
6 *De Virginitate Pariſiis* 1693.

ἐπενδύτην μέλανον, Libanius *ἱμάτιον πένθιμον* [1], & a Concilio Trullano can. XLII. *nigrae Eremitarum veſtes* memorantur. Cujus ritus ſi cauſſam quaeras, illa ex Hieronymo praeſto eſt in litteris ad Marcum Presbyterum, quod lugubris, moeſtaque eſſe debeat poenitentis hominis veſtis. Plura jamdudum de hac re protulere Alardus Gazaeus [2], & Chriſtianus Lupus [3], tum Aſſemanus *de Syris Neſtorianis* [4], nuperque nulli eruditione inferior Antonellus *de Aſcetis* [5]. At ubi ad occiduas ſolis plagas convertimur, Latinoſque Coenobitas contemplamur, non omnis veſtitus nigrans, & ater, ſed pars illius candida, & albeſcens. Duo, eaque luculentiſſima hujus conſuetudinis documenta prodidit inſignis ſcriptor, omniumque conſenſione diligentiſſimus Eccleſiaſticae antiquitatis explicator Mabillonius [6]. Alterum ex miniatulis figuris, quibus perornatur Vaticanus Codex inſcriptus, *Dialogi de S. Benedicto*, Gregorio, & Victore III. auctoribus, alterum ex imaginibus appoſitis autographo *Chronici S. Vincentii ad Vulturnum* Bibliothecae Barberinae: in quibus vetuſtis picturis Monachi alba veſte, & atro ſcapulari induti viſuntur. Plurimum etiam cum noſtra pictura convenit antiqua imago S. Lindani Abbatis, cujus tunica cuti pene adhaereſcens, conſtrictis manicis brachia ad manus uſque contegens candida eſt, ſcapulare, & capitium pullatum [7]. Simili cultu, habituque repraeſentantur Monachi in codice Evangeliorum Luxovienſi [8], in muſivis Templi maximi Montiſregalis [9], aliiſque ſacris monumentis, quae Mittarellus, & Coſtadonus, praeclariſſimum eruditorum par, in elaboratiſſima praefatione ad Annales Camaldulenſes percenſuerunt [10]. Cur autem tunica

1 V. Chriſt. Guil. Walchium *Antiquitates Pallii Phil. Veter. Chriſtianor. Sect.* II. §. XV. *Jenae* 1746.

2 *Commentar. in Joh. Caſſianum. Pariſiis* 1642.

3 *Synodor. Decreta, & Canones illuſtrati. Part.* II. *Schol. ad Can. Trullan. Bruxellis* 1673.

4 *In Bibliotheca Orientali to.* III. *P.* II. *Romae* 1738.

5 Diſſertatio inſerta ſermonibus S. Jacobi Epiſcopi Niſibeni *cap.* V. *Romae* 1756.

6 *In Muſeo Italico, tom.* I. (*Itineris deſcript.*) *Luteciae* 1687.

7 Apud Georgium *de Cathedra Setina* &c. ubi ſupra.

8 Calmetius *Commentar. ſopra la Regola di S. Bened.*

9 *Michele del Giudice deſcrizione del Tempio di Monreale &c. Lamina* XVI. *pag.* 121. *Palermo* 1702.

10 *Tom.* III. *Venetiis* 1758.

tunica eſſet alba, his verbis expreſſit, docuitque Mabillonius. *Sane ratio id poſtulabat, quandoquidem tunica, quae cuti proxime adhaerebat (nam laneae interulae praeter regulae auctoritatem poſtea conceſſae ſunt), quum ſaepius lavari ad munditiem exigeret, potius ex lana candida, quam nigra fieri congruum erat* [1]. Quae quum ſecum ipſe conſideraret celeberrimus Grandius ſcripſit, candidae veſtis uſum antiquiorem putari oportere ſanctiſſimi ſui parentis Romualdi aetate, viſione, & inſtituto [2]. Omnia itaque adjuncta, quae huic noſtro balneo ſingillatim deſignando; expoliendoque contulit pictor, cum hiſtoria oppido conſentiunt.

M CA-

1 *Prefat. ad Saeculum V. Benedictin.* Memorat. edit.
2 *Diſſertationes Camaldulenſes Diſ.* III. Lucae 1707.

CAPVT DECIMVM.

Divina Myſteria a Chriſtianis quandoque in balneis peracta. Beatiſſimus Papa Pius I. balneum Novati in hunc uſum dedicavit. Juſtinus Martyr in Actis judicialibus coram Q. Junio Ruſtico Chriſtianos in eas thermas convenire teſtatur. Conſtantinopoli fautores Johannis Chryſoſtomi inſidias verentes Paſcha celebrant in balneo. De concilio, quod in thermis Titi a S. Silveſtro celebratum perhibetur. Collatio Carthaginenſis inter Catholicos, & Donatiſtas in balneo habita. Summa Graecorum erga balnea τῆς Ἐκκλησίας religio. Arſenius Patriarcha accuſatus apud Mich. Palaeologum, & a Synodo in exilium pulſus, quod in his Azatinum, & Saracenos lavari permiſiſſet.

CHRISTIANI quondam, quum non ſatis tranquillis, pacatiſque temporibus uterentur, quibus niſi cum omnium fortunarum, ipſiuſque vitae diſcrimine oratoria, proſeuchas, aedeſque συνάξει celebrandae dicatas libere, palamque poſſent adire, vel nondum in opimum, beatumque rerum ſtatum veniſſent, ut illis liceret templa exſtruere magnitudine ſua, & capacitate frequenti populo continendo accommodata, opportunum ſibi locum in balneis, thermiſque ſuppeditari rebantur ad ſacros conventus habendos, ad pſallendum Deo viventi, ad menſam coeleſtem parandam, ceteraque religionis officia perficienda. Atque alterum hoc eſt Eccleſiaſticae hiſtoriae caput, quo plurimum ſplendoris, ac praeſidii huic noſtrae diſputationi accedet, eaque facta uberior ad argumentum priori finitimum, apteque cum illo cohaerens ſe fundet, atque manabit. Quid autem in hoc genere illuſtrius, aut magnificentius dici poteſt, quam Chriſtiana religione vix hominum mentibus ſuſcepta, in urbe omnium maxima primis illis ſummi Dei cultoribus balnea ad Synaxes patuiſſe? Erant tum Romae ad Viminalem nomine, & celebritate inſignes thermae Novati, quae & *Timotinae* ab illius fratre

fratre Timotheo dicebantur. Has delegit Beatiſſimus Papa Pius I., cui per id tempus omnis Eccleſiae Catholicae procuratio erat demandata, ut inibi, quotquot, Ethnica ejurata ſuperſtitione, Chriſtum confitebantur, ſacro fonte regigneret, conſecrato pane reficeret, νεοφύτους, recenterque baptizatos optimis monitis in fide retineret, ad virtutem, pietatem, conſtantiamque extolleret. Adſcribo Anaſtaſii verba, a quo eſt id memoriae proditum. *Hic* (S. Pius) *ex rogatu B. Praxedis dedicavit Eccleſiam thermas Novati in vico Patricio in honorem Sororis ſuae Pudentianae, ubi & multa dona obtulit, ubi ſaepius ſacrificium offerens miniſtrabat; imo & fontem baptiſmi conſtruxit, manu ſua benedixit, & conſecravit, & multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis*[1]. Adeo autem erat locus ille religione ſacerrimus, & jugi Chriſtianorum frequentia celebratus, ut Juſtinus Philoſophus, illuſtris rectae noſtrae Fidei ἀπολογούμενος, qui ut Epiphanius in Panario perhibet, τὸ τέλος ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσας τελείου στεφάνου καταξιοῦται ἐπὶ τῆς Ρωμαίων πόλεως, *ad extremum pro Chriſto martyrium ſubiit, & ſuprema corona dignus eſt habitus in urbe Roma*[2], huc diſcipulos adduceret, eoque cum illis ad myſteria peragenda conveniret. Nam interrogatus a Q. Junio Ruſtico, ποῦ Χριστιανοὶ συνέρχεσθε, *quo in loco Chriſtiani convenirent*; primum quidem id prudenti reſponſione occuluit, ac diſſimulavit; ſed iterum quaeſitus ab Eparcho: εἰπὲ, ποῦ συνέρχεσθε, ἢ εἰς ποῖον τόπον ἀθροίζεις τοὺς μαθητάς σου, *age, dicas, quem in locum conveniatis, & diſcipulos tuos congreges*, reſpondit, παρά το βαλανεῖον τιμοτίνων, *ad balneum cognomento Timotinum*[3].

1 *Vita S. Pii.* Locus hic mendis ubertim fuit aſperſus calligraphorum inſcitia, aut indiligentia, varieque redditus legitur in diverſis Codicibus. Quare viri eruditi, aliis collatis monumentis, emaculandum, reſtituendumque ſuſceperunt; quorum judicio textus ſic refingendus, ut ſenſus ſit: thermas Novatianas in *vico Latericio*, non in *Patricio* extitiſſe, eaſque proinde nomini B. Praxedis dedicatas in *Titulo Romano*, non ad Divae Pudentianae in *Titulo Paſtoris* quaeri oportere. V. Martinellium, *Roma ex Ethnica ſacra*. *Romae* 1653. Florentinum *Martyrol. Exercit.* 21. *ad Kal. Aug. Lucae* 1668. Blanchinium *Not. in Anaſtaſ. tom.* II. *Sect.* XII.

2 *Haereſ.* XXVI. ſeu XLVI.

3 *Acta Confeſſionis Juſtini* latine reddita a Guilielmo Sirleto in *Junio Bollandiano tom.* I. *Antuerp.* 1695. V. Ruinartium, *Acta Primorum Martyrum ſelecta*. *Pariſiis* 1689. Baronium *ad an.* CLXVI.

Verum ſi ratione , animoque luſtremus nefaſtos illos dies, quibus Eccleſia atrociſſimae calamitatis ictibus divexata eſt, ſtatim Johannes Chryſoſtomus ſuccurrit, qui iniquiſſimae factionis aſtu, & improbitate Sede ſua Conſtantinopolitana exulare eſt juſſus, quod ſaltatorum, ac mimorum ſpectacula, in dedicatione ſtatuae Eudoxiae populo data, oratione graviſſima corripuiſſet. Nam inſtructas ſibi per ſicarios inſidias agnoſcens, verenſque perfida malitioſorum conſilia, urbe egreſſus poſtremo, & deſperatiſſimo ſalutis perfugio uſus eſt. Imminebat tum ſanctiſſimus Paſchatis dies, quem fautores Johannis, bonae mentis homines, rectique tenaces quoniam neque in Eccleſia, neque in Baptiſterio tuto celebrare poſſe viderunt; in balnea confugere deliberarunt. Res de Sozomeni ſententia ita ceſſit. Αἰσθόμενοι δὲ καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος τὴν ἐπιβουλὴν, τῇ ὑστεραίᾳ καταλιπόντες τὴν ἐκκλησίαν, ἐν δημοσίῳ λουτρῷ πολυχωρήτῳ μαλὰ, Κωνσταντίου τοῦ Βασιλέως ἐπωνύμῳ, τὸ Πάσχα ἐπετέλεσαν. *Reliqua autem populi multitudo quum inſidias intellexiſſet, poſtridie, relicta Eccleſia in publico balneo ſpatioſo, quod Imperatoris Conſtantii nomine nuncupatur, Paſcha celebrarunt* [1]. Atque bina iſthaec exempla ex duabus primariis utriuſque Imperii urbibus petita protuliſſe ſufficiat, alia licet praeſto forent recitanda, & ex libro Chriſtiani Kortholti, *Paganus Obtrectator* [2], facili negotio mutuanda. Sed haec ipſa loci tranquillitas, haec ipſa ſitus conditio effecit ſane, ut balnea a populi frequentia remota non tam ad ſacrificium rite perpetrandum, ad caeremonias, religioneſque obeundas opportuna Chriſtianis viderentur, quam ad graviſſimos Patres, moderatoreſque Eccleſiae convocandos, quum ex eorum conſilio, & auctoritate qnippiam eſſet decernendum. Superſunt adhuc ingentes reliquiae thermarum, quas Titus in Eſquilino ſumma impenſa fabricarat, quaſque incendio abſumptas Domitianus refecerat; & etiamnum partem templi, ubi *Titulus Equitii*, mole ſua, & robuſta teſtudi-

1 *H. E. lib.* VIII. *cap.* XXI. edit Cantabrig.

2 *Sive de calumniis Gentilium in veteres Chriſtianos libro* II. Opus in tres libros diſtributum poſt obitum Patris edidit Sebaſtianus Kortholtus Fil. *Kilonii* 1698. Iterum prodiit *Lubecae* 1703.

ſtudine ſuffulciunt. In his, ut popularis habet opinio, S. Silveſter, cui a pluribus annis divinarum omnium rerum poteſtas delata erat, celebratis alibi Conciliis Arelatenſi I., Ancyrano, Neocaeſareenſi, Laodiceno, Alexandrinis duobus, Romanum alterum an. CCCXXIV. indixit, ut commendatam ſibi Eccleſiam ab Haereticorum machinationibus, praviſque ſententiis ſartam tectam tueretur; itemque Hyppolitum Diaconum Valentinianae haereſis ſectatorem, Calliſtum Sabellii erroribus maculatum, & Victorinum Epiſcopum, receptos Paſchales cyclos repudiantem, anathemate percelleret. Et quamvis Concilii hujus capitula, ac decreta ſubdititia, dubiaque a doctis viris merito haberi, longeque poſt actam Synodum conſcripta minime repugnem, attamen de loco ſic conſtans, & translatitia opinio eſt, ut multorum animis inſederit. *Igitur Silveſter Epiſcopus urbis Romae* (quemadmodum in capite I. Actionis primae legitur)[1]..... *collegit univerſam Synodum Epiſcoporum cum conſilio Auguſti* (Conſtantini M.), *vel Matris ejus* (Helenae), *& fecit parari in urbe Roma intra thermas Domitianas, quae nunc cognominantur Trajanae*[2]. At inquies, tota hac oratione me vana, nutantia, apo-

1 *Collectionis Labbeanae tom.* I. Johannes Antonius Philippinus, qui de hujuſce Concilii, ejuſque Actorum αὐθεντίαν nihil dubitavit, in libro: *Riſtretto di tutto quello, che appartiene alla Chieſa de S. Silveſtro, e Martino de' Monti. Roma* 1639. quatuor imprudenter peccavit. Primum, quod utriuſque Romani Concilii ætatem perverſe, nec ſuis temporibus conſignarit. Alterum, quod mox relata verba inter priora Concilii Canones retulerit, quae, ſi vera eſſent, ad ſecundum procul dubio ſpectant. Tertium, quod utramque Synodum in eiſdem thermis actam dixerit, quum nonniſi de poſteriori id accidiſſe credatur. Quartum, quod in Iſidori Mercatoris ſententiam incaute conceſſerit, & ſecundam Romanam Synodum a Silveſtro coactam cum illo putaverit ad Nicaenos Canones confirmandos, quum ne unum quidem ex XX. capitulis, quae illi adjudicantur, de Ario, & Ariana haereſi agat, nec agere poſſet omnino; quandoquidem, ſi revera habita illa eſt, Oecumenicum, magnumque Nicaenum Concilium anno integro praeceſſit.

2 Titi balnea, quoniam in eodem Eſquilino Trajanis proxima ſunt, a ſequioris aevi ſcriptoribus cum his quandoque permutantur. Ita Anaſtaſius in vita Symmachi, de quo ait: *Baſilicam SS. Silveſtri, & Martini a fundamentis exſtruxit juxta thermas Trajanas*. Sacrum iſtud Hypogaeum eo etiam nomine venerandum, quod pervetus Deiparae imago, a MARIA GAUDIUM CHRISTIANORUM, Romanae urbis ipſo Silveſtri aevo dulce decus, ac praeſidium, illic colatur. Nobis locus eſt multo ſpectabilis, poſtquam ibidem quieſcunt oſſa, pretioſaque pignora viri venerabilis, nec minus noſtri Ordinis, quam totius Catholicae Eccleſiae utilitati, & ornamento nati, JOSEPHI CARDINALIS THOMASII. Qui quum de ſe demiſſe admodum ſentiret, & praedicationem ſui defugeret ſepulcrum cocto latere contegi voluit, cui compendiariis litteris haec inſculpi fecit.

I. M.

apocrypha conſectari, & narratiunculae male colligatae plus aequo concedere [*]. Certiora itaque, & quae ſint extra dubitationem poſita, inveſtigemus. Porro illud firmiſſimum, quod de collatione Carthagine habita an. CCCCXI. Innocentio I. Pontifice, inter Catholicos, & Donatiſtas litteris traditum eſt. Illi quippe exactiſſimae prudentiae viri ad ſermones attente conferendos, ad res accuratius ponderandas, ad mature deliberandum in balneum ſecedendum eſſe ſtatuerunt. Enimvero decimum collationis capitulum, ubi *edictum cognitoris de loco, & modo colloquii*, haec habet. *Erit autem collationi aptiſſimus locus thermarum Quarcilianarum, in quem die Kalendarum Juniarum eoſdem Epiſcopos ſolos, qui ſunt deſignati, oporteat convenire*. Et paucis interjectis: *nullus ergo vel Laicus, vel Epiſcopus ultra numerum praeſtitum in illum tranquilliſſimum Concilii locum, contra prohibitum, molietur accedere* [1]. Quibus ſane effectum eſt, ut haec balnea, quae primo nonniſi ad naturalem munditiem, aut valetudinem comparandam fuerant dedicata [*], celebratis ibidem ſacrificiis, myſteriis, collationibus, Chriſtiana, religioſa, ſacraque evaſerint.

Dum

I. M. PRESB. CARD.
TIT.
EQUITII.

Nos vero pro debito erga incomparabilem virum obſequio, cultuque tabulam marmoream proxime apponi curavimus, hoc inſcripto epigrammate.

TITVLVM . HVNC
QVEM
VENERABILIS . SERVVS . DEI . IOSEPH . MARIA
PRESBYTER . CARDINALIS . THOMASIVS
HVMILI . LATERCVLO . ADHVC . VIVENS
INSCVLPI . FECERAT
TEMPORIS . INIVRIA . ET . LOCI . [illegible]
PENE . OBLITERATVM
CLERICI . REGVLARES
NOMINI . ET . MEMORIAE . IPSIVS . SEMPER . DEVOTI
RESTITVI . CVRARVNT
SACR . EST . CONOB . PERMISSV
HOC . IPSO . LOCO . VBI . IN . PACE . CHRISTI
ANNO . CIↃIↃCCXIII. DEPOSITVS . FVIT.

1 *Collect. Labbeanae tom.* II.

Dum his deſcribendis immoror, iterum ad Graecorum hiſtoriam ſermonem revolvi neceſſe eſt, quod natio illa, quae ſe inani religione circumveniri facile patitur, inſigne nobis ſuppeditet exemplum, ex quo intelligimus, SACRA BALNEA prope ad ſuperſtitionem Graecos venerari conſueviſſe. Et quoniam inter Graecas urbes nulla exſtitit, quae aut Epiſcopatus nobilitate, aut ſacrarum aedium numero, aut Liturgiae varietate Conſtantinopolim ſuperarit, in ea dicendo ſubſiſtamus. Vix credi poteſt, quot illa lavacris, atque thermis abundaret; ſi enim Codinum, Cangium, Gyllium, Bandurium, ceteroſque Byzantinos ſcriptores adeas, ubique balnea indicabunt in ea urbe a piiſſimis Imperatoribus exſtructa, mireque perornata. Fuere *Anaſtaſiana*, ab Anaſtaſia Con ſtantini ſorore, quae Baſſiano Caeſari nupſit, cognominata; *Archadiana*, ab Archadio, ſive Archadia ejus filia; *Honoriana* ab Honorio; *Sophiana* a Juſtino juniore excitata; *Eudoxiana* ab Eudoxia; *Rufiniana* a Rufino Magiſtro; *Caroſiana* a Caroſia Valentis filia. Iis adjungenda τὸ μέγα λυτρὸν τοῦ Κωνσταντίνου, *Balneum magnum Conſtantini*; τὸ κάλλιστον, καὶ μέγιστον, καὶ φανώτατον τὸ βασίλειον λυτρὸν, *Balneum palatii pulcherrimum, maximum, ſplendidiſſimum*; τὸ μέγα λυτρὸν πλησίον τοῦ βὸς, *magnum balneum juxta forum bovis*, cui aedificando pecuniam contulit Nicaetas Eunuchus ſub Theophilo Imp. &c. [1] De quibus Baſilicis thermis luſit Leontius Scholaſticus his carminibus *in Anthologia lib.* IV.

> Θερμὰ τὰ δ᾽ ἀτρεκέως βασιλήια. οἱ δὲ γὰρ αὐτοῖς
> Οἱ πρὶν ἀγαζόμενοι θῆσαν ἐπωνυμίαν.

> *Certe Regia ſunt haec balnea: nomine priſca*
> *Admirata aetas indicat illa ſuo.*

Sed qui tantum ſtudii, tantumque impenſae libenter erogarant balneis in ſui, vel populi univerſi uſum excitandis,

1 Codinus *Antiquitat. Conſtantinopolitanae* ex recenſione Lambecii *Pariſiis* 1655. Cangius *Conſtantinopolis Chriſtiana lib.* I. *Luteciae* 1680. Gyllius *Typographia Conſtantinop. lib.* II. & III. Theſaur Gronov. *tom.* VI. Bandurius *Antiquitat. Conſtantinop. tom.* II. *Pariſiis* 1711.

dis ſua etiam, ut capite III. diximus, ſive in templorum peribolo, ſive alio apto loco exſtructa, viris Eccleſiaſticis unice patere voluerunt. Porro haec adeo ſacra, adeo religioſa Graecis videbantur, ut nullo prorſus auſu, nulla irreverentia temerari poſſe putarentur. Memorandum ſane, quod Conſtantinopoli, Michaële Palaeologo Comneno imperante, novimus accidiſſe. Quum is per nefarium ſcelus, inſignemque proditionem, Johannem Laſcaris, Theodori II. Filium, imperiique heredem excaecaſſet, qua procerum favore, qua generis nobilitate, qua gratioſa prehenſatione Imperator ſalutatus fuit: repugnante tamen Arſenio Patriarcha, qui, quum a Theodoro Johannis adhuc pueri tutor fuiſſet conſtitutus, Michaëlem tanti criminis reum ſacris interdicere meditabatur. Quamquam vero ſumma animi levitate, metuque iniquo a propoſito ſtatim deſciverit, & novum Principem Nicaeae coronaverit, fieri minime potuit, quin Imperator grandem, perpetuamque ſimultatem animo gereret, & Arſenium ſumma inſectaretur malevolentia. Accidit tum, ut Azatinus Perſidis Sultan, Tochorarum conjuratione perterrefactus, videnſque temeraria, turbulenta, periculoſa omnia eſſe, Perſide relicta, perfugium Conſtantinopoli quaeſiverit. Perhumaniter a Michaele exceptus in Arſenii familiaritatem venit. Atqui commoda exinde Imperatori ſe ſe obtulit occaſio, ut Patriarchae exitialem conflaret calumniam. Igitur Clerici quidam Imperatoriae factionis, Michaële certe inſtigante, libellum adverſus Arſenium obtulere, in quo ſecundo loco, referente Pachymere, ſic ille ab accuſatoribus exagitabatur[1]. τὸ προσκεῖσθαι τοῖς Σȣλτὰν ἐυμενῶς, ὡς καί σφιν ἐφεῖναι τῷ λȣτρῷ τῆς Ἐκκλησίας συχνάκις ἐλȣ́εσθαι, τιμίων χαρακτήρων ςαυροῦ ἐκεῖσε τοῖς μαρμάροις ἐγκεχαραγμένων, Ἀγαρηνοῖς οὖσι, ϗ ἀμυήτοις; *nimium propenſum, & familiarem Sultani ſe praebuiſſe, adeo ut ei, & Comitibus permiſerit ſaepius lavari in* BALNEO ECCLESIAE *ubi ſunt ſigna venerandae Crucis marmoribus inſculpta, quum iſti eſſent Agareni, & Chriſti myſterio-*

1 *Hiſtoria rerum Michaelis Palaeologi lib.* IV. *cap.* III. *edit. Romae* 1666.

ſteriorum expertes. Quamvis Arſenius objectum ſibi crimen duplici reſponſione purgaſſet, dixiſſetque, ſe culpa vacare, tum quia ſi ea ratio valuiſſet, a cunctis pariter urbis balneis Agareni illi fuiſſent excludendi, quandoquidem omnia ſigno Crucis, & aliis ſacris imaginibus ſimiliter ornabantur, tum quia ex eorum geſtis, & Epiſcopi Piſidiae teſtimonio Chriſtianos illos putaverat [1]; nihilotamenminus indicta ab Imperatore in Alexiaco triclinio Synodo, Epiſcoporum decreto ſede cedere juſſus eſt, & ex Patriarchio in inſulam Oxeam delatus. Iniquam ſane, & *latrocinalem* fuiſſe Arſenii *exauthorationem*, nemo non novit. Sed illud liquido, certeque indidem conſequitur, ac demonſtratur, Graecos pro Cleri lotione balnea ſacra habuiſſe, quae idcirco ab hiſtoricis ΛΟΥΤΡΑ ΤΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ nuncupantur, eaque, quaſi ſacras aedes, ſumma obſervantia coluiſſe.

1 Adeo id verum, ut Nicephorus Gregoras *Hiſtor. Roman. lib.* IV. *cap.* X. *Pariſiis* 1702. affirmet, notum fuiſſe tum Imperatori, tum Sacerdotibus, Azatinum ortum duxiſſe ex parentibus Chriſtianis, & baptiſmate initiatum ſacras imagines Conſtantinopoli eſſe veneratum, ceteraque Chriſtianae pietatis officia palam illic peregiſſe. Ex quo magis emergit, Arſenium iniquiſſimo decreto fuiſſe damnatum, atque in exilium pulſum.

CAPVT VNDECIMVM.

Veteri conſuetudine receptum, ut qui in Militiam Equeſtrem cenſerentur, balneari lavatione ſe primum praepurgarent. Annos a Godefrido Bullionio repeti queat. De Gaufrido Andegavenſi, Guillelmo Batavo, aliiſque nobilibus viris poſt balnei uſum in Equites adſcitis. Richardum II. Angliae Regem, ej ſque ſucceſſorem Henricum IV. hoc ipſo ritu Milites creaſſe. Varia hujus narrationis conſectaria. A balneis abſtinendum diebus eſurialibus, in Paraſceve, omnique poenitentiae tempore, docent Auguſtinus, Nomocanon, & Pacianus Barcinonenſis. Gregorius Papa illorum rejicit judicium, qui in die Dominico lavari non licere dictitabant. Rurſus de hac Graecorum ſententia interrogatus a Bulgaris Nicolaus PP. I. eamdem improbat. Marci Patriarchae Alexandrini quaeſitum de Presbytero, qui balneo eſſet uſus, & Theodori Balſamonis ad illum reſponſa perpenduntur. Quamobrem recens baptizati per hebdomadam a balneo ſibi temperarent, exponitur. Ritus hic, qui II. *ſaeculo obtinebat, a Dallaeo carpitur fallaci, & captioſa argumentatione, quae tota diſſolvitur, ac refutatur.*

CASTA placent ſuperis: nec eſt, qui intima quadam perſuaſione non ſentiat, nihil aris admoveri oportere, quod non terſum, ac politum ſit; quoniamque duplici natura conſtamus, altera inviſibili, & ſempiterna, altera corporea, & adſpectabili, nihil decore, nihil etiam bene, & auſpicate peragi videtur, niſi externus corporis habitus, qui animi index ſolet eſſe, purus, nitiduſque ſit, animumque ipſum caſtum moribus, & pudore integrum obnuntiet. Atque haec certe cauſſa fuit, ut qui olim in Chriſtianos Equeſtres Ordines ad Eccleſiae tutamentum, ad pauperum levamen, ad pietatem fovendam, augendamque inſtitutos cooptari averent, totum corpus in balneo colluere tenerentur. Nihil ego ad id afferam, quod viri ſapientia, ingenioque pollentes

lentes Camdenus [1], Vptonus [2], Biſſaeus [3], Mennenius [4], Mendus [5], Redius [6], Juſtinianus [7], Hermantius [8], Menetrejus [9], Honoratus [10], Heliottus [11], Comes in Koden [12], Torellus [13], Curnaeus [14], aliique de Equeſtri Militia ſcriptores non percurrerint. Sed illud mihi ſumam, ut ſervata accuratius temporum ratione, incertiſque opinionibus excluſis, hujuſce ritus originem, cauſſas, progreſſiones nitide, vereque proponam. Prima quidem illius veſtigia in Godefrido Bullionio ſublucere videntur. Nam quum ſtrenuiſſimus ille Lotharingius Princeps an. 1097. partim Petri Eremitae cohortatione, partim Vrbani Pontificis, Conciliique Claromontani ſuaſu erectus in Aſiam trajicere conſtituiſſet, Deoque duce, hanc mentem, voluntatemque ſuſcepiſſet, ut, adducto validiſſimo exercitu, Turcas de *Terrae Sanctae* poſſeſſione pelleret, ejiceret, exterminaret [15], duodecim equeſtri titulo cives ſibi in ſocios, copiarumque ductores delegit, & adſcivit, quorum ope, labore, virtute tot ille geſſit admiranda, ut GESTA DEI PER FRANCOS orbem univerſum ſui fama compleverint. Quandoquidem vero illuſtris natio Francigena id ſemper in more habuit, quemadmodum Lex Salica teſtatur, ut ad ea, quae fortiter, quae nobiliter aggredi

 fas

1 *Britannia, ſive Regnorum A. S. H. deſcriptio. Londini* 1607.

2 *De ſtudio Militari. Londini* 1654.

3 Notae Odoardi Biſſael ad Nicolaum Uptonum. *Ibi*.

4 *Deliciae Equeſtrium, ſeu Militarium Ordinum. Coloniae Agrippinae* 1613.

5 *De Ordinibus Militaribus Diſquiſitiones. Salmanticae* 1657.

6 *Bacco in Toſcana Ditirambo colle Annotazioni. Firenze* 1691.

7 *Hiſtorie Cronologiche degli Ordini Militari parte* 1. *in Venezia* 1692.

8 *Hiſtoire des Ordres et Chevalerie. à Pariſ.* 1697.

9 *Traitè de la Chevalerie &c. à Pariſ.* 1684.

10 *Diſſertations Hiſtoriques & Critiques ſur la Chevallerie par le P. Honorè de Sainte Marie. à Pariſ.* 1718.

11 *Hiſtoire des Ordres Monaſtiques, Religieux & Militare. Tom.* II. *à Pariſ.* 1711.

12 *Adnotationes Hiſtoricae de Orig. Equitum Aquilae Albae Johannis Friderici Comitis in Koden &c. Corollar. Verb. Balne-Equites. Coloniae* 1730.

13 *Armamentarium Hiſtorico-Legale rerum ad Equeſtres Ordines pertinentium Thomae Aloyſii Silvii Torelli Epiſt. Foroliviens. tom.* 1. *Diſcurſ.* VII. *&* XL. *Forolivii* 1751.

14 *Memoires ſur l'ancienne Cavalerie &c. par M. de la Curne de Saint Palaye. à Pariſ.* 1751.

15 V. Guillelum Tyrium *Hiſtoria de Bello Sacro. Baſileae* 1549. Cardinalem de Vitriaco *Hiſtor. Hieroſolymit.* edit. Bongarſii. *Hannoviae* 1611. *Chronicon s. Bertini.* Tom. III. Anecd. vet. Edm. Martene. *Pariſ.* 1717. *Chronic. Helmoldi Lubecae* 1659. praeter recentiores rerum Gallicarum collectores.

fas eſſet, certis formulis, variiſque caeremoniis ſe compararet, non injuria ſuſpicatur Mennenius[1], Godefridum in hiſce XIIviris deligendis illas ipſas precationes, illas vigilias, illam lotionem praemiſiſſe, quibus tantum facinus corde, animoque mundo ſe ſuſcipere declararet: eo vel maxime, quod id totum ſaeculo inſequenti a viris ſuae gentis principibus certiſſime factum, & ex vetere conſuetudine retentum comperimus. Qua de re Monachum Sangallenſem vitae Caroli Magni deſcriptorem initio ſaeculi XII. ſic differentem audiſſe juverit. *Hac die mos eſt, ut nocte praecedente, vigiliis factis, & gladiis ſuper altare majus poſitis, & benedictis, poſt vigilias, & BALNEOS novi Milites cingulo, & torque aureo donentur*[2]. Ac nihil veritati confirmandae poteſt depromi expreſſius, quam ſollemnis illa Gaufridi Andegavenſis cooptatio, quae accidit Rhotomagi an. 1127., antequam is Mathildem unicam Henrici I. Anglorum Regis filiam ſibi uxorem adjungeret. Tota ſplendidiſſimae cooptationis narratio litteris tradita eſt ab Johanne Monacho Mauromonaſterienſi in *Gaufridi Northmaniae Ducis hiſtoria*[3]. Gaufridus Andegavenſis igitur, Regis gener futurus, ſacro adventante Pentecoſte, multo ſtipatus milite, *& cum quinque Baronibus* Rhotomagum venit. Prima die cum Rege laetiſſime tranſacta, de multis interrogatus ſapientiae, conſiliique plenum ſe ſe prodidit. *Illuceſcente die altera, BALNEORVM uſus, uti TYROCINII SVSCIPIENDI CONSVETVDO EXPOSTVLAT, paratus eſt. Poſt corporis ablutionem aſcendens de balneorum lavacro biſſo retorta ad carnem induitur &c.* In quo non modo illud animo attendas velim, lotionem, balneique uſum, poſt exploratam, cognitamque adoleſcentis indo-

1 *Pag.* 10.

2 Fortaſſe Notkerus Balbulus. Extat opus in Collectione Ducheſniana *Hiſtor. Francor. Scriptor. tom.* II. *Lutetiae* 1636. In lectionibus Caniſii *tom.* II. *Antuerpiae* 1725. In Collect. Veter. Mon. Hahnii *tom.* II. *Brunſvigae* 1726. Quandoquidem de praeclariſſimo Imperatore Carolo M. incidit ſermo, balneis ſummopere delectatum illum eſſe, tradit Eginarthus in vita ipſius (edit. Reuberi, *Francofurti ad Moenum*. 1584. his verbis. *Non ſolum filios ad balneum, verum etiam optimates, & amicos, aliquando ſatellitum, & cuſtodum corporis turbam invitavit, ut nonnunquam centum, vel eo amplius homines una lavarentur*. Nihil id ceteroquin ad Militiam Equeſtrem pertinet, quam aevo Caroli M. jam invectam, nullo ſatis idoneo argumento probari licet.

3 Rodius *ibidem* & Honoratus *ubi ſupra*.

indolem, primam fuiſſe caeremoniam, verum etiam conſiderate advertas, factum id fuiſſe *conſuetudine expoſtulante*, ut hunc ritum nequaquam tunc primo inventum, excogitatumque, ſed antiquiorem, uſitatum jamdiu, ac translatitium intelligas. Exactis jam annis viginti ab hac celebri inauguratione, legimus deſignatum, delectumque fuiſſe in Alemanniae Regem Guillelmum Comitem Hollandiae. Qui quum plurimum honoris, laudiſque ex ea militia repeti perſpiceret, in eamdem cenſeri, adoptarique poſtulavit *ſecundum Chriſtianorum inſtitutionem*, priuſquam corona Aquiſgrani donaretur. Chronicon Belgicum [1], a quo notitia ad poſteros tranſmiſſa, docet, novum Regem in hunc illuſtrem Ordinem adſcitum fuiſſe ſimilibus adhibitis ad Deum precibus, lavatione praehabita, ceteroque apparatu, quem mox enarravimus. Sed antequam cetera perſequar documenta, quae extera hiſtoria ſuppeditat, quaeque ſuis annis conſignabimus, chronologica rerum ſeries, quam tenere propoſuimus, in Italiam nos vocat.

Venuſtiſſimus ille poeta, cui lepores omnes, elegantiaſque Muſae conceſſere, nec minus multiplici eruditione praeclarus, Franciſcus Redius antiquam vulgavit membranam manu Petri Presbyteri Matthaei *de Pionta* filii exaratam, qua primum innotuit, Italos in eumdem plane modum viros rebus geſtis conſpicuos dignitate Equeſtri honeſtaſſe. Enimvero anno 1260. quum Commune Aretii Hildebrandum Girataſca Equitem creare decreviſſet, indicta ad id die, ſacris primo operam dare Hildebrandus eſt juſſus, conſcientiae labes confeſſione expurgare, animumque rerum divinarum meditatione praecolere. His peractis, duo nobiles viri *Andreaſtus, & Albertus Hildebrandum expoliaverunt, & collocaverunt eum in balneum* [2]. Cetera deinde ſubſequuta ſunt, ſacroſanctae hoſtiae

1 Inter Scriptores Rerum Germanicar. Piſtorii Tom. III. Adhibitas ad id caeremonias deſcribit Chronicon Vltrajectinum inter *Vetera Analecta* Antonii Matthaei. *Tom.* V. *Lugdun. Batavor.* 1703. Mos erat, ut Reges omnes, priuſquam corona honeſtarentur, Equites, vel Milites eſſent dicti. Rem univerſam multo concleatius explicavit Burcardus Gotthelfius Struvius, *Corpus Hiſtoriae Germanicae Period.* VII. *Germ. Suevica de Gul. Batav. tom.* I. *Dreſdae* 1755.

2 Redius *loc. cit.*

ſtiae litatio, conſecrati panis ſuſceptio, jusjurandum, enſiſque praecinctio. Haec Petrus, qui ante viginti annos Conradum Maſnaderium Romae in Baſilica Vaticana eiſdem caeremoniis in Equites adſcriptum ſe vidiſſe declarat. Id ipſum ſaeculo XIV. obtinuiſſe, intelligi poteſt ex hiſtoria Nicolai Gabrini, vulgo *Cola di Rienzo*, urbis Romae Tribuni. Is quum ſe adeo inſolenter efferret, & ſibi ipſi adeo magnus eſſet, *ut ſeverum, clementem, libertatis, pacis, juſtitiae Tribunum, ac ſacrae Romanae Reipb. liberatorem illuſtrem* in ſuis epiſtolis ſe appellaret [1], publicas honoris teſtificationes ſumma cupiditate appetivit, omneſque procaci faſtu conſequutus eſt. Equitem idcirco an. 1347. ad altare S. Petri, toto ſpectante populo, renunciari ſe cupiens pridie lavatum ivit; & ne quid arrogantiae ſuae deeſſet, ingenti concha Lateranenſi, in qua Conſtantinum purificatione religioſa luſtratum ferebatur, pro balneo eſt uſus [2]. Non multo poſt, anno ſcilicet 1388., Johannes de Panciatichis, & Gualterius Bandini in nobilem militiam eodem ritu Florentiae fuerunt adlecti, quemadmodum ex MSS. Magalottianis percipitur, quibus & Rituales praeceptiones hac in re obſervandae, earumque explicatio continetur. Porro quo ſpectaret lotio illa, quidve animo propoſitum eſſe deberet balneum adeuntibus, his verbis exprimitur. *Intret balneum in ſignum lotionis peccati, & cujuſlibet vitii* [3]. Anno mox inſequuto, ut eſt in veteri Chronico [4], Carolus VI. Francorum Rex apud S. Dionyſium geminos filios inter primarios regni Equites annumerare volens his legibus, quae per id aetatis uſuveniebant, non antea baltheo illos donavit, & cingi gladio conceſſit equeſtri, quam bene lotos ex balneo vidit redeuntes.

Adeunda jam eſt Anglorum hiſtoria, in qua duo potiſſi-

1 Ludovico Caſtelvetro *Conſiderazioni ſopra il Petrarca. In Lione* (Milano) 1727.

2 *Vita di Cola di Rienzo lib.* 1. *cap.* XXV. *In Bracciano* 1631. Adi etiam *Conjuration de Nicolas Gabrini dit de Rienzi par le Pere Cerceau lib.* VI. *à Amſterdam* 1734. Tum opus aliud Gallicum: *Hiſtoire de Nicolas de Rienzi Senateur de Rome par Boiſpreaux, à Pariſ.* 1742.

3 Redius, Honoratus &c. Saint Palaye *Seconde Memoire*.

4 *l. c.* Eo alludunt carmina Galli Poetae (*Le Roman de Garin*) veteri dialecto Narbonenſi ſcripta, & ab Honorato prolata. *Livre* II. *Diſſert.* II.

Quant fu baignié, ſus el Palés en vint.
Bien fu veſtu & de verd & de gris.
Mult fu apers, & Chevalier eſtis.

tiſſimum ſunt memoratu digniſſima. Non longe ab eo tempore Richardus II., ſi Froiſſardo fides [1], quum Hiberniam in ſui ditionem, poteſtatemque redegiſſet, ut quatuor Regulos, qui illic imperitabant, throno a ſe dejectos aliquo ſaltem inſigniret honore, eos in templo majori Londinenſi *Equites a Balneo* conſtituit. Sed multo praeclarius, quod de Henrico IV. qui regnum occoepit, geſſitque Richardo interfecto, a ſcriptoribus communiter perhibetur. Hunc nimirum Regem ex piiſſima cauſſa balnearem lavationem in Equitibus creandis conſtanter adeo, religioſeque tenendam decreviſſe, ut qui ab eo deinceps, ceteriſque in imperio ſucceſſoribus nobiles Milites facti ſunt, *Equites Balnei* fuerint cognominati [2]. At ex omni hac noſtra oratione tria ſponte ſua manant, ac fluunt conſectaria. Primo quidem, balnei caeremoniam longe ante Henricum obtinuiſſe, nec ejus primordia inter Anglos eſſe quaerenda, quum jamdudum apud Francos, Italoſque eam uſitatam fuiſſe aperte, certoque pateat. Deinde hanc caeremoniam nullam reapſe conſtituiſſe diſtinctam Equitum claſſem, nullum peculiarem coetum, ordinemve, ſed omnibus Militibus qnondam communem fuiſſe, quum inaugurarentur. Illud demum conſequitur, Milites, quibus *Equitum Balneatorum* ex vulgi dictione agnomentum

1 *Hiſtoire, & Chronique. Volume* IV. *à Lyon* 1559.

2 Camdnenus, Mendo, Juſtinianus, Helliottus, Torelius *Diſcurſ.* 21. &c. Licet iſthaec lavatio antiquitas fuerit commune, & conſuetum Militiae Equeſtris tyrocinium, eam tamen apud nobiliſſimum, omniumque praeſtantiſſimam noſtrum HIEROSOLYMITANVM Ordinem minime aſitatam credo. Nihil de balaeo adeando habent veteres *Ordinationes*, nihil antiqua *Statuta*. Balnea quidem ſaepe legimus conceſſa Fratribus HOSPITALIS HIERVSALEM; ac primo Miliſeadis Hieroſolymorum Regina anno 1149. Regnante filio ejus Balduino, in charta permatationis haec habet. *Mutavi cum Domino Raimundo* (De Podio II. Magno Mag.) *Hoſpitalis pauperum Chriſti pro Balneis illis, qui ſunt in vico s. Leonardi apud Ptolemaidem .... Logiam illam &c.* In charta donationis Boamondi Regis Antiocheni per manum Alberti Tarſenſis Epiſcopi ejus Cancellarii an. 1186. inquit Rex. *Concedo eis* (Fratribus Hoſpit.) *Balnea, quae Dominus Rainaldus habebat apud Antiochiam. &c.* Conſule Sebaſtianum Paulium, virum ingentia ſane nominis, *Codice Diplomatico del Sacro Militar Ordine di s. Giovanni Geroſolimitano. Tom.* 1. *Lucca* 1733. Sed quorſum conceſſa illis balnea? Veroſimiliter pro infirmorum curatione, aliiſque purificationibus tam ſacris, cum profanis. Quamvis enim pientiſſimi illi Fratres ab inſtitutis Graecorum, quos ſemper infenſiſſimos habuere, abhorrerent, nec more viverent *Orientalium*, quibus pro ſua vivendi, veſtiendique ratione balnea erant perneceſſaria, nihilominus Latinorum ritus ſequuti balneari lavacioni poterant etiam religionis gratia indulgere.

tum adhaeſerat, fuiſſe ſimplices Equites armatos more veteri, uſitatiſque ritibus, inter quos erat ablutio in balneo.

Atque in his, quae hucuſque diximus, illud nobis fuit propoſitum, ut meliori, quo poterat, ordine, multa ex Graecis, Latiniſque ſcriptoribus promeremus argumenta, quibus invicte demonſtraretur, lotiones Chriſtianis hominibus fuiſſe nonnumquam quaſi legis praeſcripto imperatas. Sequitur ergo, ut eoſdem iterum adeamus fontes, atque ex his eruere conemur, num balnei uſus aliquo anni tempore ipſis Chriſtianis fuerit ab Eccleſia vetitus. Romani quondam quum florerent, religioneſque publicas ſanctiſſime tuerentur, nonnullos habuere dies, in quibus ſibi a lavacris temperabant. Plutarchus ſcriptum reliquit, factum id fuiſſe in aliquibus Junonis feſtis, in quibus Flaminicam tetram, ac ſordidatam eſſe lex imperabat [1]. Hinc Tertullianus id Ethnicis ſua aetate objectabat: *vos certe eſtis, qui etiam in laterculum ſeptem dierum ſolem recepiſtis, & ex diebus ipſum praelegiſtis, quo die lavacrum ſubtrahitis* [2]. Neſcio quid hujus moris apud veteres Chriſtianos invectum video: quamvis enim lege nulla id cautum expreſſe fuerit, verumtamen SS. Patres Chriſtianis auctores ſunt, ut feriis eſurialibus, quadrageſimae potiſſimum, a balneis, thermiſque abſtineant. Nam, inquit Auguſtinus ad Januarium epiſtola LIV. alias CXVIII. *perſeverantes in obſervatione quadrageſimae nec LAVANT, relaxantve jejunium* [3], ac ſi dicat, jejunia, & lavacra ſimul componi, conciliarique minime poſſe. Certe, quum decurrente ſollemni illo jejuniorum tempore, poenitentiam multo durius exerceri oporteret, aſpera omnia, & injucunda tolerari, laxamentis omnibus aditus interdici, doloremque ex memoria peccatorum animo conceptum ſquallido corporis habitu patefieri, ut praeſtantiſſimis monumentis late demonſtravit Morinus [4], a balneis procul dubio erat abſtinendum; quae una (monente Chardonio *in hiſtoria Sacramentorum*)

1 *Quaeſtion. Roman.* XLV. Ed. Stephani.
2 *Ad Nationes lib.* I. *cap.* XIII.
3 *Opp. tom.* II. *Pariſiis* 1679.
4 *Commentarius Hiſtoricus de diſciplina in adminiſtrat. Sacramenti Poenitentiae lib.* VII. *cap.* XVIII. *Pariſiis*. 1651.

rum[1]) non levis cenſebatur eſſe poena, atque afflictatio. Rurſus Nomocanon apud Cotelerium lavationem vetat, aut ſaltem improbat in magna Paraſceve illis verbis: *ὁ χριστὸς ἐν τῷ σταυρῷ, καὶ σὺ ἐν τῷ Βαλανείῳ*, *Chriſtus in Cruce, & tu in balneo*[2]? In Dioeceſi Colonienſi ſabbatho tantum balneo uti licuiſſe, Baertius, & Janningus ex loco vitae Ezonis, Mathildis, & Richezae Comitum Palatinorum ſuſpicati ſunt[3]. Ad *Poenitentes* porro quod attinet, praeterquamquod *illotos* eos appellat Auguſtinus[4], S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus ſub Theodoſio *in paraeneſi ad Poenitentes* ſic illos alloquitur. *Quid dicitis poenitentes? Ubi eſt veſtrae carnis interitus? An quod in ipſa poenitentia lautiores inceditis, convivio farti, BALNEIS EXPOLITI, veſte compoſiti*[5]? Jejunantibus ergo, & poenitentibus lavatio interdicta, uſque dum vel Paſchale tempus ſuperveniret, vel eſſent hi Eccleſiae reconciliandi.

Ea tamen eſt optimarum rerum conditio, ut his quam citiſſime homines abutantur, & quae ſunt ſancte, ac laudabiliter inſtituta in nequiorem rapiant partem. Et vero de piiſſima hac lavationis conſuetudine ſuperſtitio enata eſt jam a Gregorii Magni temporibus, ut eſſent plerique, qui animum inducerent ad credendum, *die Dominico* balneum ingredi non licere, ut Gregorius ipſe dilectiſſimis filiis ſuis Romanis civibus ſcribens his verbis indicat. *Aliud quoque ad me perlatum eſt, vobis a perverſis hominibus eſſe praedicatum, ut Dominicorum die nullus debeat lavari. Et quidem ſi luxuria, ac voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo die concedimus: ſi autem neceſſitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus ..... Nam ſi Dominicorum die corpus lavare pecca-*

O *tum*

1 *Hiſtoire des Sacramens. Tom. I. Chapitre IX. à Pariſ. 1745.* ubi haec adnotat. *Il faut remarquer qu' une des macerations du temps de jeune étoit de ne point frequenter Les Bains, & qu' elle n' étoit pas une des moindres.*

2 *Collectio Monumentor. tom. I. num.* CCCCXXXVIII. *Pariſiis 1677.*

3 Textus hic eſt. *Nullius umquam ſeptimanae Sabbathum, quo tantum balneo uti liceret, praeteriit &c.* Biographi ſic animadvertunt. *Balnei uſum aliquibus diebus ab Eccleſia prohibitum nuſquam legi ....; videtur hic tamen ſimilis aliqua in Colonienſi Dioeceſi obſervantia indicari.*

4 *De Poenit.*

5 *Biblioth. PP. tom. IV.*

tum eſt, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc, exigente neceſſitate, toti corpori negatur [1]? At Graeci, quorum religio ſuperſtitione, vaniſque obſervationibus abundantius contaminabatur, moleſtiores in hac re fuere: & quoniam quarta, & ſexta Feria jejunabant, neque his diebus balnea Chriſtianis patere debere, obſtinate tutabantur. Res eo proceſſerat, hominumque mentibus ſic ea inſederat opinio, ut Bulgari recens ad Chriſtianam fidem converſi cauſſam ad Beatiſſimi Papae Nicolai I. judicium detulerint. Audito Bulgarorum poſtulato, ſic ille reſcripſit. *Porro quod affirment Graeci dicentes, quod nullo modo in quarta, & ſexta Feria balneari debeatis, de quo id nos e contra conſulentibus reſpondemus, quod Beatus Papa Gregorius de Dominico die praedicaſſe legitur* (recitat Gregorii verba). *Itaque quod hic Praeſul eximius, & ſuaviſſimus doctor in Dominico die, qui ceteris diebus venerabilior eſt, conceſſit, nos quoque in quarta, & ſexta Feria non negamus* [2]. Neque hic Graecarum cavillationum terminus. Inter ſexaginta ſex illas ſubtiliores quaeſtiones, quas Theodoro Balſamoni Patriarchae Antiocheno ſolvendas propoſuit Marcus Patriarcha Alexandrinus, ediditque Freherus in *Corpore Juris Graeco-Romani* [3], petiit is undecimo loco: ἐὰν Ἱερεὺς λουτρῷ, δύναται κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν ἱερουργῆσαι, *an ſi ſacerdos utatur balneo, poſſit eo die Miſſam dicere*. Quid Balſamon? Plura ex Hippocrate, atque Galeno commentatur, quibus doceat, hominis naturam ad voluptates primigenia labe jam proclivem lavacris maxime calidis magis, magiſque ad libinem incendi, excitari, urgeri, indeque concludat, viros balneo fotos, & deliciis deditos a Chriſti corpore ſumendo arceri oportere, donec appetitus reſideat, & caſtigatione comprimatur. Quod vero Marcus judicium Balſamonis, qui non ſolum juris ſacri peritiſſimus, ſed multo eruditiſſimus habebatur, exquiſiverit, non

1 *Opp. tom.* II. *lib.* XI. *epiſt.* III. *Indict.* VI. *Pariſiis* 1675.

2 *Reſponſ. cap.* VI. *In Collect. Labbeana. Concil. tom.* VIII.

3 *Tom.* I. *lib.* V. *Reſponſor.* I. *pag.* 362. *Francofurti* 1596. Exemplar Quaeſtionum Canonicarum Marci, & Reſponſionum Balſamonis extat in Bibliotheca Vindobonenſi. Conſule Lambecium *lib.* VI. *part.* I. *Vindobonae* 1674.

non ideo crediderim accidiſſe, quemadmodum Thomaſſinio videtur [1], quia ignarus eſſet, quid Gregorius PP. edixiſſet, vel dubitaret, num thermariis feſto die liceret aeſtuaria ſuccendere, opuſque hoc vere ſervile exercere, ſed potius quia videret, ſuos Alexandrinos non ſobrie, continenter, ſevere, ut decebat, vivere, ſed molliter, & delicate, eaſque avide ſectari oblectationes, quibus ἔμφυτος ἐπιθυμία ad flagitia facile impellitur.

Diverſa procul dubio de cauſſa factum eſt, ut qui olim ex aqua, & Spiritu ſancto renati fuerant illo ſalutis, & indulgentiae lavacro gaudentes a ceteris aliis temperarent, decurrentibus octodialibus feriis a baptiſmo ſuſcepto, quas in variis pietatis, & juſtitiae officiis cum ſuis ſuſceptoribus laetabundi agitabant, ac tranſigebant. Tertullianum vadem, ac teſtem damus, qui *de Corona Militis cap.* III. ita ſcribit: *inde ſuſcepti, lactis, & mellis concordiam praeguſtamus, ex eaque die* (Baptiſmatis) *lavacro quotidiano per hebdomadam abſtinemus*. Inquirenti autem mihi, quid animo propoſitum eſſet priſcis Chriſtianis, ut illis diebus balnea ſibi interdicerent, ex ceteris Baptiſmi caeremoniis, quae tum obtinebant, vera, & propria cauſſa ſuccurrit. Sacro Chriſmati, quo in baptiſterio inungimur, quo, monente Auguſtino, *ſignificatur donum gratiae* [2], quo denique nos Mater Eccleſia *luctatores contra diabolum facit* [3], tantam illi adhibebant reverentiam, ut ad unctionem diutius conſervandam illita membra panno obvolverent, atque contegerent [4]. Quid igitur dictu proclivius, quid veroſimilius, quam recens baptizatos hac ſacri Chriſmatis obſervantia ductos a quavis lotione per hebdo-

 madam

1 *Traité Hiſtorique, & Dogmatique des jeunes de l'Egliſe. II. Part. Chap.* xxv. *à Pariſ.* 1680.

2 *De Trinitate lib.* XIII. *cap.* XXVI.

3 *Tractat.* XXXIII. *in Johannem*. Frequenter ab Apoſtolo Paullo, & Eccleſiae Patribus, imprimis Graecis, inſtituta eſt haec comparatio inter Athletas & Chriſtianos, quibus duriſſimis illis temporibus pugna pene quotidiana, & *colluctatio contra ſpiritales nequitias* erat iucunda. Notum eſt autem ex Scriptoribus de *Re Athletica*, Fabro, Mercuriali Lydio, aliiſque, Pugiles illos antequam in palaeſtram, certamenque deſcenderent, & luctarentur, oleo, ceromate, diapaſmate conſueviſſe perliniri, quibus laſſitudo levari, & vires corporis augeri credebantur. Graeci largius, quam Latini his unctionibus in Baptiſmo indulſere.

4 V. Vicecomitem *de Antiquis Baptiſmi ritibus lib.* v. *cap.* v. *Mediolani* 1615.

madam abſtinuiſſe, ne unctionem, quam, ceu divinorum beneficiorum ſignaculum, ac pignus, ſuſceperant, aquis delerent?

Haec tam recte, tam juſte, tam pie in Eccleſia a primaeva illius origine conſtituta commovere, ſuſtollere, reformare praeſumpſit Johannes Dallaeus, ſcriptor citra controverſiam acutus, copioſus, eruditus, ſed captioſa ſua loquacitate, ſubdolaque dialectice inter maledicos Sophiſtas potius, quam inter Chriſtianos Theologos numerandus. Caeremoniam itaque mox a Tertulliano memoratam, ceteraſque a Patribus recenſitas, quae a noſtris in Baptiſmi ſuſceptione adhiberi conſueverunt, repudiandas, ſpernendaſque decretorio judicio ſanxit Dallaeus, eo quod ab Apoſtolis profectae minime credi queant: quaſi nihil Eccleſia debeat ratum habere, quod non fuerit ex eo tempore invectum. Ab illis autem primis Chriſtianae doctrinae magiſtris haſce caeremonias haud manaſſe, ex ipſa Tertulliani oratione elici, certoque evinci aſſeverat. Nam Tertullianus poſtquam illas deſcripſit praeclara, ut ſolet, animadverſione eodem in libro cap. IV. ſic admonuit. *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules, Scripturarum nullam invenies. Traditio tibi praetendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix. Rationem traditioni, & conſuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces.* Ex quo ita argumentatur, colligitque Charentonis miniſter: ergo harum caeremoniarum *traditionem* aliorum, quam Apoſtolorum, eſſe oportet. Si enim *conſuetudine* defenditur, humana eſt, non divina; traditiones quippe Apoſtolicae, utpote divinae, per ſe ſtant, ſtatimque ab initio valent. Humanae ſunt, quae conſuetudinis praeſidio egent, ut recipiantur [1]. Haec ille.

Mirum ſane putidas adeo fallacias excidiſſe Calviniano diſputatori, qui ſibi argutiſſimus videbatur! Ageſis, contentioſiſſime *ἱερομάστιξ*, compreſſo te ſequar pede. Illa, te judice, ab Apoſtolis profecta haud eſſe queunt, quae *conſuetudine defenduntur*. Sic plane ſtatuendum tibi concedam, ſi de

1 *De Cultibus Religioſis Latinorum. Lib.* 1. *cap.* XV. *Genevae* 1671. Opus poſthumum.

de his ſermo ſit, quae humana tantum, recentique nitantur conſuetudine. Sed non id nunc agitur. Tertullianus enim nuſquam affirmavit, Baptiſmi caeremonias jam *per ſe non ſtetiſſe, & ab initio non valuiſſe*, omnemque auctoritatem tantummodo a poſteriori uſu eſſe mutuatas. Verum liquido, & expreſſe dixit, eas, quae ſuo tempore jam invaluerant, licet non reperirentur ſcripto mandatae, tamen a majoribus ſic fuiſſe *traditas*, ut in conſuetudinem veniſſent. Non ergo mera nuperae cujuſdam *conſuetudinis* vi receptae fuerant, ſed ideo uſitatae, quia antiquiori *traditione* tranſmiſſae. Quaeſo nunc te: qui fuerant Tertulliano antiquiores, quem, Apoſtolico ſaeculo, vix exacto vixiſſe comperimus? Profecto Apoſtoli, aut illorum diſcipuli, qui, quum coeleſti permoverentur ſapientia, omniaque Deo immortali adſpirante praeſtarent, divinas *ejuſmodi diſciplinas* tradidiſſe putandi ſunt. Neque vero abſtinentiam a balneo, aliaſque *ejuſmodi diſciplinas* conſuetudine fulciri, dixiſſet Tertullianus, niſi longe antea per plures annos jam fuiſſent obſervatae: jus enim conſuetudinis illud ab omnibus cenſetur, quod aut vetuſtas, aut certe longus uſus comprobat. Ideoque ſi, Tertulliano inter mortales agente, conſuetudine roborari illae dicebantur, ab Apoſtolis, eorumque proximis ſucceſſoribus eaſdem manaſſe, fatearis, neceſſe eſt. Quid ſibi velit in tota oratione Afer ille Presbyter, quid conſuetudo, traditioque valeant, tute ediſcere poteras ex illius teſtimonio, niſi partem ſilentio celaſſes, quod ego ad tui dolum, fraudemque nudandam, integrum exſcribo. *Si legem nuſquam reperio, ſequitur, ut traditio conſuetudini hunc morem dederit, habiturum quandoque Apoſtoli auctoritatem ex interpretatione rationis. His igitur renunciatum erit, poſſe etiam non ſcriptam traditionem in obſervatione defendi, confirmatam conſuetudine, idonea teſte tunc traditionis ex perſeverantia obſervationis. Conſuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege ſuſcipitur, quum deficit lex: nec differt, ſcriptura, an ratione conſiſtat, quando legem ratio commendat*. Sed adhuc etiam te urgeo, illudque depoſco, eccur cetera Tertulliani verba diſſimules? Non conſuetudo modo

ab

ab illo in caeremoniarum patrocinium memoratur, ſed *Fides obſervatrix*, illa inquam fides, quae, te non ſemel aſſentiente, per illud tempus nondum ſuperſtitione fuerat corrupta. Fides ergo Chriſtianorum II. ſaeculi, quam tantopere alias exaggeras, atque commendas, nullam apud te vim eſt nunc habitura? An illos homines, quos ſaepe appellaſti prudentes, cautos, & divino ſpiritu ductos, rebus mere *humanis* tantam obſervantiam, reverentiamque adhibuiſſe dices? Demum tu, qui totus in eo es [1], ut perſuadeas, Chriſtianorum cultum eſſe oportere λογικὴν λατρείαν, *rationabile obſequium*, poſtrema Tertulliani verba ne praetermittas inobſervata; videlicet, *rationem* ipſam *traditioni*, *conſuetudini*, *fideique patrocinari*. Itaque ritus illi non ſolum Apoſtolici, ac pene divini, & prudenti conſuetudine, fideque ſuſcepti, ſed etiam λογικοί, *rationabiles*; quod apud te, tuoſque *rationis* humanae praedicatores, defenſoreſque plurimum debet valere. Haec de abſtinentia a balneis poſt ſuſceptum Baptiſma, deque moris hujus antiquitate ſufficiat delibaſſe.

CA-

1 *Lib.* 1. *cap.* IV.

Digitized by Google

CAPVT DVODECIMVM.

De Minoribus lotionibus rite, pieque in Eccleſiam invectis. CAPITILAVIVM apud Hiſpanos, Galloſque neutiquam in Romana Eccleſia uſitatum. Iſidori locus explicatus. Neophyti a SS. PP. INFANTES ἀλληγορικῶς nuncupati. Concilium Moguntiacum nihil expreſſe de abolendo capitilavio ſanxiſſe, nec Haereſim ob illud eſſe enatam. Triplex apud veteres Chriſtianos Podonipſia. De ritu lavandi pedes peregrinorum vetuſtiſſima exempla. De Pedilavio in Baptiſmi collatione; & num Canon Illiberitanus illud penitus vetuerit, an vero a Clericis peragi mandarit. Vetus Eccleſia Gallicana Podoniptron poſt Baptiſmum addebat. Quare Serapion Sindonites Mimorum, quos baptizavit, pedes laverit. Num Chriſtus pedilavium peregerit ex Judaeorum inſtituto, nec ne. Scaligeri, Caſauboni, Buxtorfii diſſenſus. Concilii Toletani de lotione pedum retinenda edictum. De haereſi PODONIPTARVM breviſſima ὑπομνήσις. Lotionem pedum perperam ab illis, ut notam Eccleſiae, aeternaeque ſaluti adipiſcendae neceſſariam, defendi, probatur.

SVSCEPTAE commentationis, inſtitutique noſtri operis ratio jure quodam ſuo expoſcere videtur, ut, poſtquam antiquiſſimum, conſtantemque morem illum late expoſuimus, quo majores noſtri religionis, & legitimi cultus ergo balnea ſtudioſe adibant, atque in his corpus demerſum aquis totum affatim emaculabant, & diligenti politura, ac περιῤῥάντεσι tergebant, *minores lotiones*, quum nempe eodem piiſſimo conſilio ducti unam, vel alteram tantum corporis partem aqua ſuperfuſa eluere, ac mundare conſueverant, perſequamur, partiteque explicemus. Vt autem nativa quadam rerum ſucceſſione, aptoque ordine procedat oratio, primum de CAPITILAVIO quambreviſſime erit agendum. Porro ab Eccleſia Hiſpanica ejuſmodi ritus originem eſſe accerſendam, argumento eſt Iſidori Hiſpalenſis auctoritas, qui omnium primus de Κεφαληλουσίῃ in libris de *Divinis Officiis*

ciis [1], atque etiam *Etymologiarum* [2] verba fecit. Et quoniam Gallicana Liturgia ſaepe, ac multum Gotho-Hiſpanae affinis, & altera ab altera eoſdem ritus interdum mutuata eſt, nil ſubit mirari, ab Hiſpanis ad Gallos capitilavium profluxiſſe, cujus meminere Rhabanus Maurus [3], auctorque librorum de Divinis Officiis, qui ſub nomine Albini Flacci circumferuntur [4]. Peragebatur autem hujuſmodi lotio in *Dominica Indulgentiae*, ſive *Palmarum* ob reverentiam ſacri Chriſmatis, quo Catechumenorum capita in proximo, ſollemnique Baptiſmatis die erant perungenda. Altum de hoc ritu ſilentium eſt in caeremonialibus libris Romanae Eccleſiae, praeterquam in veteri *Ordine Romano*, qui a Georgio Caſſandro [5], & Melchiore Hittorpio [6] VIII. vel IX. ſaeculo deſcriptus putatur. Verum quid in illo reperias, niſi purum, & nudum capitilavii nomen, quo inter alia diverſa vocabula Dominica Palmarum a nonnullis diſtingui dicitur? Nulla tamen de illo retinendo praeſcriptio, nullaque de ratione, qua fuerat peragendum, admonitio; quae procul dubio Hierologus ille diligentiſſimus ſcripto mandaſſet, ſi haec conſuetudo apud Romanos invaluiſſet. In quo nihil a vero ſic alienum arbitror, quam quod pleriſque certiſſimum videtur, nempe puerorum minorum, & *Infantium* capita ſolummodo ante Baptiſma fuiſſe hac peculiari lavatione praepurgata. Errori quidem, & hallucinationi anſam dedere Iſidori verba, a Rhabano, & Pſeudo-Alcuino, una, vel altera immutata littera, in ſuos libros tranſcripta, quae ejuſmodi ſunt. *Vulgus autem hunc diem Capitilavium vocat, quod in eo tunc eſt mos lavandi capita* INFANTIUM, *qui ungendi ſunt, ne obſervatione quadraginta dierum ſordidata ad unctionem accederent*. At ſi Quadrageſimali obſervatione capita Baptizandorum ſordidabantur, multo magis in adultis, qui ad jejunia, & aſperioris vitae genus per eos dies lege adſtringeban-

1 *Lib.* I. *cap.* XXVII. *opp. Coloniae* 1616.
2 *Lib.* V. *cap.* XVIII.
3 *Lib.* II. *de Inſtit. Cler. cap.* XXXV. *edit.* Georgii Colvenerii *Coloniae* 1627.
4 *Tit. Dominic. Palmar.* Inter Opera, curante Andrea Quercetano. *Lutetiae* 1617.
5 *De Ord. Roman.* Inter opera Caſſandri edita *Pariſiis* 1616.
6 V. *Bibliothec. PP. Lugdun. tom.* XIII.

gebantur, id evenire neceſſe erat (quod antea diximus [1]); ut proinde adulti ſupra pueros lotione egerent. Aliam ergo eſſe oportet Iſidoriani ſermonis acceptionem. Atque illa facile colligitur ex communi Patrum oratione, ex ipſius Baptiſmi praeſtantia, & efficacitate. Nam quum *Sacramentum regenerationis* merito dicatur, *novaque ſpiritualis vita* per illud homini tribuatur, *quaſi modo geniti infantes* [2] ſunt, quotquot vivo, ſacroque fonte expiantur. *INFANTIVM* ergo nomine Neophyti omnes, aut etiam qui nomen dederant [3], ſive pueri, ſive adulti intelligi debent.

Ac ne temere Iſidori locum ſollicitaſſe videar, fidiſſimos excitabo interpretes Clementem Alexandrinum, qui in ΠΑΙΔΑΓΩΓΩ [4] eos, qui in Chriſtum Baptizati ſunt, infantes, pullos, puellos eſſe appellandos, atque hac ipſa ſuaviſſima appellatione ab ipſo humanae ſalutis auctore inſignitos fuiſſe demonſtrat; tum etiam Zenonem Epiſcopum Veronenſem, qui in II. *Invitatione ad Fontes* Catechumenos in hunc modum alloquitur. *Eja quid ſtatis, Fratres, veſtram quos fidem genitalis unda concepit, per ſacramenta jam parturit, ad deſiderata quantocyus feſtinate. Sollemnis hymnus jam canitur, ecce mox INFANTIVM jam dulcis vagitus auditur, ecce parientis uno die ventre clariſſima turba procedit*. Et rurſus ad Neophytos *ſerm.* I. ſic eos compellat. *Ex quo* (fontis lavacro) *qui eratis AETATE DIVERSI, diverſi natione ſubito germani fratres, ſubito unigeniti emerſiſtis INFANTES*. Hunc capitilavii uſum deſiiſſe conjectat Vicecomes [5], poſtquam Concilium Moguntinum an. DCCCXIII. in Baptiſmi adminiſtratione omnia ad Romanae Eccleſiae praeſcripta, ejuſque conſuetudinem peragi ſancivit. Atque ea maxime de cauſſa abolitum cenſet, ut errandi occaſio demeretur his, qui eam ablutionem Sacramentum eſſe rati verum, & ſalutare Baptiſma reſpuebant. Sane PP. Moguntiaci prudenter caverunt,

P ut in

1 *Pag.* 23.

2 *Epiſtola* 1. *Canonica Petri cap.* II.

3 Notiſſima viris eruditis caeremonia, ut Catechumeni ante Baptiſmi ſuſceptionem nomen darent, quod in tabulas referebatur, publiceque recitabatur, de qua Cyrillus Hieroſolymit., Gregorius Nyſſenus, Origenes, Tertullianus, Auguſtinus &c.

4 *Lib.* I. *cap.* V. & VI.

5 *De Bapt. Rit. lib.* III. *cap.* XV.

ut in illis regionibus Sacramenta *uniformiter ſecundum Romanum Ordinem adminiſtrarentur*. At ſi hanc ſanctionem ad capitilavium referri par eſt, & ejuſmodi interpretandi ratio valet, jam nullus erit error, aut abuſus ad Baptiſmum pertinens, qui non hocce Canone proſcriptus dici queat. Qui autem in ea fuerint haereſi, ut praevia hac adſperſione crimina deleri ſtultiſſime opinarentur, id me prorſus latere candide, ingenueque fateor, vereorque, ne Vicecomes, ut cauſſam aliquam afferret, hanc conjectando, & pro libito ſuo excogitarit.

Expoſita jam capitilavii conſuetudine, proximum eſt, ut multo antiquiorem, magiſque penes Chriſtianos receptum ritum lavandi pedes hic ſuſcipiamus enucleandum. Id autem eo facilius exequemur, quod hanc ipſam ſpartam plurimi jam adornarint, inter quos merito excellere exiſtimantur Jacobus Gretſerus [1], & Franciſcus Orlendi [2], Johannes Freſcobaldus [3], ex Acatholicis vero Thomas Ittigius [4]. Neque hoc tamen accurate, feliciterque tractari poſſe video, niſi in ſuas partes diſtincte tribuatur. Alia igitur eſt *PODONIPSIA*, quae hoſpitalitatis gratia peregrinis adhibita legitur, alia, quae cum Baptiſmo in aliquibus regionibus quondam praeſtabatur, alia demum, quae in memoriam eorum, quae a Chriſto poſtremis vitae ſuae diebus geſta ſunt, uſque ad noſtram viguit aetatem, ſummaque religione adhuc factitatur. De prima ut dicam, nihil priſca illa exempla moror ſive Abrahami, & Lothi, qui *Angelis* ſub aſcito viatorum habitu latitantibus pedes laverunt [5], ſive Eurycleae, quae Penelopis juſſu id officii Ulyſſi praeſtavit [6], ſive Filiae Cleobuli Lydiorum Regis, quae τῶν ξένων τῶν πατρώων ἀπονίπτειν τοὺς πόδας, *paterno-*

1 ΠΟΔΟΝΙΠΤΡΟΝ, *ſive de more lavandi pedes Peregrinorum, & Hoſpitum &c. Ingolſtadii* 1610.

2 *Duplex Lavacrum in Cœna Domini*. Romae 1707.

3 *Pedilavium Feria* v. *in Coen. Dom.* edit v. *Luca* 1720.

4 *De Pedilavio Chriſti imitando*. Inter Exercitationes illius Theologicas, *Num.* IV. *Lipſiae* 1702.

5 Genes. XVIII. & XIX.

6 Exempla Homerica habes collecta a Feithio *Antiquit. Hom. lib.* III. *cap.* XIII. Quae felici ingenii acie, multiplicique doctrina quamprimum explicaturum non dubito Cl. Joſephum Bartolum Sardiniae Regis Pii, Auguſti, Felicis a ſupellectili antiquaria, quum vetus marmor Homericum a ſe Romae comparatum aggredietur illuſtrandum.

ternorum hoſpitum pedes lavare ſolebat [1]. Quibus ſane omnibus hoſpitalis podonipſia non modo vetuſtiſſima evincitur, verum etiam penes omnes nationes tacita quadam conſpiratione recepta demonſtratur: atque illud etiam pateſcit (contra, ac Lightfootus ſcripſerat [2]) *ποδονίπτρυ* miniſtros haud ſemper fuiſſe vel ancillas, vel ſervos, alioſque humillimae conditionis, ſortiſque homines. Haec, inquam, nihil moror, ſolaque Chriſtiana nunc perſequor monumenta, quibus erudimur, majores noſtros, & Epiſcopos imprimis in excipiendis peregrinis id minime praetermiſiſſe. Et ut exemplis aliquot id opportune oſtendatur, clarus in hiſtoria prae caeteris Spiridion Trymithuntis in Cypro Epiſcopus, qui, auctore Sozomeno [3], peregrinorum, quos hoſpitio liberaliter excipiebat, pedes continuo lavari jubebat. Similiter Auguſtinus Clericos, imo Chriſtianos omnes non ſemel commonefacit, ut pedes fratrum, & hoſpitum lavent [4]. Quare veteres Monachos, qui nihil unquam reliqui fecerunt, ut praeſtantiſſima quaeque ederent pietatis exempla, temporibus Caroli M., & Caroli Calvi legem de lavandis peregrinorum pedibus tuliſſe, in antiquis *Capitularibus* [5] reperimus. Sed omnium inſtar haberi poterit *Syntagma Doctrinae ad Clericos, & Laicos*, quod ſub Athanaſii Alex. P. nomine vulgavit Andreas Arnoldus [6]. Certe, quiſquis ille ſit, minime recentis operis auctor de Pedilavio tuendo fortaſſe plus aequo ſollicitus ſic illud commendat, ut citra piaculum omitti non poſſe exiſtimet: *μὴ ἀμέλει πλύνειν πόδας ἀδελφῶν ἐρχομένων πρός σε. ζητήσεται γὰρ ἡ τοιαύτη ἐντολὴ περὶ τῶν ὑπερηφανευσάντων αὐτὴν κἂν Ἐπίσκοποι ὦσιν*. Quae ego ſic in Latinum puto eſſe tranſmittenda: *ne negligas lavare pedes Fratrum ad te venientium; culpabuntur enim de praecepti violatione vel ipſi Epiſcopi, ſi ſontes fuerint* [7]. Ad ſecundum, quod poſui, veniamus.

1 Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.* IV.
2 *Horae Thalmud. in Joh.* Roterod. 1686.
3 H. E. *lib.* I. *cap.* XI.
4 V. Ittigium *pag.* 233. 235.
5 *Capitula Monachor. ad Augiam directa. Capitular. Aquiſgranenſe &c.* apud Baluzium *Capit. Reg. Franc. tom.* II. *Pariſiis* 1677. V. Marten. *de Antiquit Monachor. Rit.* Hergottum *Vet. diſcipl. Monaſt. &c.*
6 *Lutetiae* 1685. Edidit ex veteri Codice Membranacco Voſſiano.
7 *Pag.* 13.

Merito, ſaplenterque Firmilianus Caeſareae Epiſcopus Cypriano quondam praeſcripſit: *circa divinae rei Sacramenta .... multa pro locorum, & hominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiae pace, & unitate diſceſſum eſt* [1]. Id ſane dicendum videtur de pedilavio, quod alicubi in Baptiſmatis collatione uſuvenit, licet a Romanae Eccleſiae conſuetudinem id eſſet alienum. Auctor *ſex librorum de Sacramentis*, qui D. Ambroſio a nonnullis viris graviſſimis conſtanter adjudicantur [2], ſed veroſimilius ab aliis ſerius poſt Ambroſii obitum deſcripti cenſentur [3], Mediolani hanc caeremoniam *recte cuſtodiri* affirmat; antiquitatem, utilitatemque illius verbis multis depraedicat; ſuos concives excuſat, quod ab Eccleſiae Romanae conſuetudine, *cujus typum ſequuntur in omnibus*, receſſerint; denique Romae id fortaſſe *propter multitudinem* baptizandorum non ſervari ſuſpicatur [4]. Vt ut eo de teſtimonio ſit, veteres libri Caeremoniarum Mediolanenſis Eccleſiae morem illic invaluiſſe oſtendunt [5]. Idipſum apud Hiſpanos quondam obtinuiſſe, certiſſimo, evidentique argumento eſt Canon XLVIII. Concilii Illiberitani, ante Conſtantini M. aetatem habiti [6], quo ita praecipitur. *Emendari placuit, ut qui baptizantur (ut fieri ſolebat) nummos in concham non mittant.... neque pedes eorum lavandi ſunt a Sacerdotibus, vel Clericis*. Jam vero ſive cum Garzia Loaiſa poſtrema verba mavis refingere, ac reſtituere, *SED CLERICIS*, ut ſenſus ſit, ab illis tantum, non a Sacerdotibus podoniptron fore peragendum, hoc Canone mandari [7]; ſive

1 Inter Cypriani opera *ep.* LXXV. *edit.* Felli.

2 Bellarminus *de Scriptor. Eccl. Lugduni* 1675. Jacobus Cardinalis de Perron *Peroniana pag.* 7. *Coloniae* 1696. Philippus Labbe *De Script. Eccleſ. tom.* 1. *addenda pag.* 706. *Pariſiis* 1660. Natalis Alex. *H. E. saec.* IV. *cap.* VI. *Pariſiis* 1698.

3 Antonius Arnaldus *de la Frequente Communion part.* 1. *chap.* XIII. *à Paris* 1644. Dupinius *Bibliothèque des Auteurs Eccleſiaſtiques tom.* II. *à Paris* 1694. Tillemontius *Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire Eccleſiaſtique tom.* X. *à Paris* 1705. Caveus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Saec. Arian. Oxonii* 1740. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib.* 1. *cap.* VII. §. IV. *Auguſtae Taurinorum*, 1747. Ceillierius *Hiſtoire Generale* des Auteurs Sacrés, & Eccleſiaſtiques *tom.* VII. §. XIV. *à Paris* 1738.

4 *Lib.* III. *cap.* I.

5 Vicecomes *lib. cit. cap.* XVII. *& ſeq.*

6 Ferdinandus Mendoza *de Concil. Illiberitano confirmando ad PP. Clementem VIII. lib.* I. *cap.* II. *Romae* 1693. Henriquez Florez *España Sagrada to.* IV. *trat.* II. *cap.* IV. *En Madrid.* 1749.

7 Labbe *tom.* I.

ſive cum Mendoza, & Aguirre [1] ſublatum illud de medio a PP. Illiberitanis dixeris, ut Hiſpanorum mores cum Romana diſciplina, tamquam publica, perfectaque rectae fidei *conteſſeratione*, undequaque congruerent, exinde profecto *Baptiſmalis* podonipſiae vetuſtas maxime elucet, atque probatur.

Caeterum Gallicana Eccleſia, quae ſuos ſemper habuit peculiares ritus, diu etiam poſt Concilii Illiberini edictum podonipſiam cum batiſmo conſociavit. Nam in duobus antiquiſſimis SACRAMENTARIIS, videlicet in *Miſſali Gothico*, & in *Miſſali Gallicano veteri*, quae VEN. THOMASIVS primus vulgavit [2], reperitur forma, ſive precatio a baptizante poſt luſtralis aquae adſperſionem, ſacrique Chriſmatis unctionem recitanda in haec verba. *Ego tibi lavo pedes, ſicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus fecit diſcipulis ſuis; ita fac tu hoſpitibus, & peregrinis, ut habeas vitam aeternam*. Licet autem ejuſmodi Liturgiam a Graecis Epiſcopis in Gallias importatam exiſtimarit le-Brunus [3], nihilominus podoniptron fuiſſe Orientalibus compertum, uſitatumque in baptiſmi ſuſceptione, ſane non auſim affirmare, colligi ex eo, quod de Serapione Sindonite traditur in hiſtoria Lauſiaca. Perhibet equidem Palladius [4], hunc virum divina mente, conſilioque praeditum duorum Hiſtrionum laviſſe pedes, eoſdemque baptizaſſe. Sed non ea eſt narrationis contextura, ut heic lotio accipi debeat, tamquam decens baptiſmi praeparatio: imo vero duo haec fuere inter ſe ſe tum tempore, cum fine prorſus disjuncta. Nam Serapion, quum in Mimorum ſervitutem de induſtria ſe tradidiſſet, ut illos Chriſto lucrifaceret, infima quaeque apud eos exercebat miniſteria, & inſtar vilis mancipii aquam, quum eſſet opus, pedibus affundebat. At nihil id ad baptiſmum pertinebat. Deinde quum familiari conſuetudine, piiſque monitis Mimos a nefaria arte, & a theatro avocaſſet, atque ad honeſtatem vitae traduxiſſet, utrumque *mundavit lavacro*

aquae

1 *Concil. Hiſp. tom.* I. ubi ſupra.

2 *Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores p.* 335. *&* 475. *Romae* 1680.

3 *Explication des Ceremonies de la Meſſe tom.* II. *diſſert.* IV. *à Paris* 1726.

4 *Sect.* LXXXIII.

aquae in verbo vitae : quod utique Palladium legenti in oculos pene incurret.

Accedo jam ad ultimum podonipſiae genus. In quo illud primum a ſubtilibus, eruditiſque diſputatoribur quaeri ſolet, an Chriſtus in poſtremo, ſanctiſſimoque convivio, quum diſcipulorum pedes lavit, id ex Judaeorum inſtituto fecerit, an vero novum penitus ritum invexerit. Non idem omnium judicium, ac ſenſum fuiſſe video. Scaliger enim [1], & Caſaubonus [2] inter *ritus ordinarios* lotionem illam exiſtimant numerandam; contra vero Buxtorfius junior [3] nulla hujus moris veſtigia in rebus Hebraicis deprehendi arbitratus *ritum extraordinarium*, & tunc primo inductnm putavit. At poſtquam unus omnium ſapientiſſimus magiſter, quod ipſe tunc praeſtitit ab omnibus ſedulo, fideliterque retinendum edixit, nulla fuit natio Chriſtiano nomine feliciter inſignita, quae memorabile illud exemplum Feria v. magnae antepaſchalis hebdomadae non ſit animo devotiſſimo imitata. Exinde autem haec caeremonia adeo reverenda ſemper viſa eſt, ut PP. Toletani Concilii an. DCXCVI. non retinendam modo diſtricte praeceperint, ſed duorum menſium ſpatio communione privandos ſacerdotes, qui illam per ſocordiam praetermiſiſſent, decreverint [4]. Quid nunc ego ediſſerendo, docendoque recenſeam ſive Latinae, Graecaeque Eccleſiae hac in re conſenſum [5], ſive abuſus, quos in illa quandoque coercere fas fuit [6], ſive ludicram licentiam, & pene ſcenicam pompam, qua in iſta pedilavium peragi novimus [7]? Quid nunc diſputem vel de duplici podonipſia, quae quondam in Eccleſia obtinuit, ejuſque ſignificatione [8], vel de vario pauperum numero, qui ad lotio-

1 *De Emendatione Temporum pag.*570. *Coloniae Allobrogum* 1629.

2 *Exercit. in Baronium. Exerc.* XVI. *Genevae* 1655.

3 *Diſſertat. de Coena Domini. Baſileae* 1662.

4 *L'abbe tom.* VII.

5 Goar in *Euchologio, ſeu Rituali Graecorum pag* 745. *Lutetiae* 1647.

6 Celebris ille ὑπερκριτικὸς Hadrianus Bailletus multa de corruptelis, quae in hac Caeremonia peragenda olim acciderunt, & quibus legibus illae emendatae fuerint, enarrat in libro, *Hiſtoire des fêtes de l'année. Jeudy Saint.* §. III. *du Mandat, ou lavement des pieds à Paris* 1716.

7 Thomas Smith *de Eccleſiae Graecae hodierno ſtatu pag.* 23. *Londini* 1678.

8 Orlendius, & Freſcobaldus, *ubi ſupra.*

lotionem eo die advocabantur [1]? Adhibenda hic a me certa ratio, moderatioque dicendi, ne ad ea, quae ſatis protrita ſunt, & a multis diſputata, iterum perſcribenda ſtudium, & otium conferam. Sed quid eſt tam optimum, tam ſanctum, quod arrogantia, libidine, ſuperſtitione hominum ſcripturas ad ſui, aliorumque perditionem depravantium violari, vitiarique non poſſit?

Inter Haereticorum ſectas, quibus ſaeculo xv. & xvi. Eccleſia Chriſti miſere, impieque divexata fuit, nulla fortaſſe, Hoſio [2], & Lindano [3] auctoribus, adeo infeſta, adeo noxia, adeo pervicax, quam ANABAPTISTARVM; quippe quae in Germaniam, Sueviam, Alſatiam, Weſtphaliam, Bataviam, aliaſque regiones tot turbas, ſeditiones, caedes adduxerit, ut illius impetus, ac veſania non niſi vi, & armis comprimi, emendarique potuerit [4]. Quoniamque neceſſe eſt eos, qui omnia proprio tantum judicio exiſtimant, & in ſenſu ſuo perverſe abundant, inſtabiles, inconſtantes, diſcordes eſſe; Anabaptiſtae in varias factiones diſceſſerunt, quae vel ab eorum auctoribus, vel ab eorum doctrina varia, eaque non ſemel ridicula, nomina ſortita ſunt [5]. In his recenſentur *PODONIPTAE*, quorum praecipuus patronus, ſi Hoornebekio in *Summa Controverſiarum* [6] credendum eſt, fuit Matthaeus Servatius. Atque illi quidem quum ſe in Apoſtolos Chriſti transfigurarent, eorumque praecepta, inſtitutaque adamuſſim ſequi ſe jactarent, *Podonipſiam* veram, inviolandamque Chriſtianae Religionis teſſeram eſſe ſtatuebant. Ita de Podoniptarum haereſi teſtatur Raemundus, harum rerum ſatis probabilis ſcriptor. *Hi nudis*

1 Conſule duos Inſignes Ordinis Theatini Scriptores, Paullum Ariſium deinde Epiſcop. Dertonenſem *Impreſe Sacre lib.* v. *impreſa* cxxxvi. *in Tortona* 1630., & Immortalem Cajetanum Meratelum in additionibus ad Gavantum. *Parte*. iv. *tit.* viii. *opp. tom.* i. *Venetiis* 1744.

2 *Libro* i. *de Haereſibus*. Colonia 1584.

3 *De Lutheri*, *&* *aliorum Sectariorum doctrina*, *varietate*, *&* *diſcordia*. *Coloniae* 1579.

4 Conradus Heresbachius *Hiſtoria Anabaptiſtarum*. *Amſtelodami* 1637.

5 Prateolus *de Vitis*, *ſectis*, *&* *dogmatibus omnium Haereticorum*. *Coloniae* 1671. Natalis Alex. *H. E. Saecul.* xv. *&* xvi. *cap.* ii. *art.* xi.

6 *Summa Controverſiar. cum Infidelibus*, *Haereticis*, *&* *Schiſmaticis p.* 388. *Ultrajecti ad Rhenum*. 1653.

dis incedunt pedibus, eoſque mutuo ſibi lavant..... Hanc enim illi VERAM Chriſtianorum NOTAM eſſe ajunt. Hoc charitatis eſſe praeceptum ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis uſitatum [1]. Suppoſititiam hanc Eccleſiae notam ſic Anabaptiſtae illi mordicus tuebantur, ut in publicis ſuae ſectae actis non aliter, ac ſi *Sacramentum* eſſet, & ad peccatorum purgationem neneſſaria, teneri illam oportere concordi ſententia conſtituerint. Quamobrem imperata, commendataque invenitur podonipſia in *Confeſſione Dordrectana* [2], in Confeſſione Memnonitarum [3], in libello Henotico Theodori Philippi [4], in Synodo Anabaptiſtarum Harlemenſi [5]. Quis jam in hiſce furioſis, iniquiſque hominibus incredibilem delirationem non animadvertat, quin ego illorum doctrinam pluribus refellere inſtituam? Omnium manibus teruntur Theologorum, reique Sacramentariae ſcriptorum libri, in quibus ingenti teſtium nube, optimiſque rationum momentis invictiſſime probatur, lotionem pedum nonniſi laxa quadam ſignificatione Sacramentum, Myſteriumque quandoque appellari, quo nempe vocabulo ea omnia apte nominantur, quae arcanum habent ſenſum, aliarumque rerum ſigna ſunt, vel inter *Sacramentalia* recenſentur. Quid, quaeſo, ſpectavit humani generis Servator, quum diſcipulorum pedes lavit, ſi Cyrillum, Baſilium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, alioſque aequiſſimos Bibliorum interpretes audies, niſi, ut humilitatis, charitatiſque officia exhiberet, mutuoque a Chriſtianis praeſtanda doceret, aut qua munditie, ac puritate ad epulum Euchariſticum ſit accedendum praemoneret? Ad haec, quod ſcripſit Apollinarius Laodiceae maritimae in Syria primum Lector, deinde Epiſcopus, podonipſiam illam praeparationem quamdam fuiſſe ad opus Apoſtolicum, ut diſcipuli intelligerent, pedum etiam emundatione

1 *Hiſtoria Memorabilis de Ortu, progreſſu, ac ruinis Haereſum* XVI. *saec. lib.* I. *cap.* VI. §. 1. *Coloniae Agrippinae* 1655.

2 Bayle Dictionaire *Hiſtorique, & Critique* tom. 1. Art. Anabaptiſtes.

3 V. Joh. Vager *de Secta Memnonitarum. Vittembergae* 1638.

4 Johannes Henricus Ottius, *Annales Anabaptiſtici, hoc eſt Hiſtoria univerſalis de origine, progreſſu, factionibus anabapt. ad an.* 1624. & 1647. *Baſileae* 1672.

5 Ittigius *l. c. pag.* 248.

datione ſe indigere, ne quid in curſu, aut converſatione vel leviter coinquinatum afferrent [1]. Denique Lucas Tudenſis Hiſpanus Epiſcopus, quum Albigenſium refutaret errores, illud poſt Auguſtinum, & Ambroſium egregie obſervavit, pedum ſordibus leves offenſas, quibus quotidie, tamquam pulvere, adſpergimur, & *iniquitatem calcanei* noſtri, cui perpetuo antiquus ſerpens fraudum artifex veteratorie inſidiatur, ſignificari: has autem noxas lotione Antepaſchali rite peracta poſſe tolli, atque deleri [2]. Verum nullus eſt Patrum, qui pedum lotionem *Eccleſiae notam*, atque ad aeternam ſalutem adipiſcendam neceſſariam eſſe ſomniarit; nullus, qui quotidianam, & arbitrariam Albigenſium podonipſiam quicquam utilitatis nobis conferre dixerit. Furenti igitur turbae PODONIPTARVM falſa, inepta, propudioſa etiam dogmata impetu militari, furca ſaepe nequicquam correpto, propagantium ne lixae quidem, aut calonis opera parentandum.

Q CA-

1 *In Catena Patrum Graecorum.* Confer, quae celeberrimus noſter Aloyſius Novarianus C. R. rerum Biblicarum ſcientiſſimus multaeque ſcriptionis homo adnotavit, *Operum* tom. XI. *Johannes expenſus cap.* XIII. *ſect.* II. *Lugduni* 1643.

2 *Adverſus Albigenſes lib.* II. *cap.* II. *In Biblioth. PP. tom.* XXV.

Digitized by Google

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Χέρνιψ *ante rem ſacram nationibus omnibus communis. Praeceptum lavandi manus Sacerdotibus Judaeorum datum rectiſſime a* Witſio *explicatum. De varia* Maris aenei *ſignificatione. Lotionem hanc temporibus Apoſtolicis uſitatam injuria negat Johannes Nicolai, qui refellitur. Duplex* χέρνιβος *cauſſa affertur. Manuum lotio* Laicis *ante Euchariſtiae perceptionem imperata, quum in manus ea traderetur. A Concilio Turonenſi mos ſublatus. Petri Avitabilis de errore Colchidenſium epiſtola vindicatur. Eadem ablutio ad criminis ſuſpicionem amovendam adhibita. Caſauboni, & Merillii opinio refutata. De judicio aquae ad purgationem criminum ſcitu praeſtantiora memorantur. Originem ab aqua* τῆς ζηλοτυπίας *veroſimilius petendam eſſe demonſtratur.*

GENTIVM omnium in unaquaque re conſenſus jure a Latinorum diſſertiſſimo M. Tullio naturae vox appellatur. Indito igitur inſtinctu, omniumque mentibus inſito a natura conſilio invecta ante ſacrificium Χέρνιψ, ſive manuum lotio, quam ſic religioſe, conſtanterque retinendam nationes omnes cenſuerunt, ut in eam rem non conſenſiſſe modo, ſed etiam conſpiraſſe videantur. Quamobrem licet in Aegyptiorum, Perſarum, Etruſcorum, Graecorumque hiſtoria multa ſuppetant monumenta, quibus evincitur, vetuſtiſſimis hiſce populis perſuaſum fuiſſe, non eſſe Diis litandum χερσὶν ἀνίπτοις, attamen prima ritus ejuſmodi origo non ab illorum doctrina, ſuperſtitione, moribuſque accerſenda, ſed ex communi hominum ſenſu, ac judicio. Viderat id jam Hermannus Witſius, qui in diſſertatione *de Sacerdotio Aaronis, & Chriſti*, poſtquam lavandi praeceptum Hebraeis ſacerdotibus datum recenſuit: *lavabunt Aaron, & filii ejus manus ſuas, & pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtamenti, & quando acceſ-*

acceſſuri ſunt ad altare (NVMER. CAP. XIX.), licet idem Ethnicis ſaepenumero commendatum reperiatur, haec prudenter adnotavit. *Non tamen exinde conſequitur, Deum hanc luſtrationem inſtituiſſe ad imitationem rituum apud priſcos Gentiles receptorum. Natura ipſa dictat, res divinas munde a mundis tractandas eſſe* [1]. Atque huic luſtrationi perficiendae primo quidem *Labrum aeneum*, ſive vas ſcapo inſiſtens a Moyſe in Tabernaculo poſitum novimus [2], deinde a Salomone *Mare aeneum* in parte auſtrali atrii interioris Templi duodecim bobus ſuffultum, ingenti capacitate, duplici coronarum ordine, varioque ornatu pulcherrimum. Quoniam vero *ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις* [3], in hoc ampliſſimo hemiſphaerio ad ſordes omnes detergendas divino conſilio illic collocato Villalpandus dudum Eccleſiae Sacramenta, quibus ſuper nivem dealbamur, repraeſentari dixerat [4]. Deylingius Baptiſmi typum illud eſſe putavit [5]; Clemens *de Mari aeneo* [6] ſymbolum Chriſti delicta noſtra abluentis, largientiſque beneficia per illud ſignificari exiſtimavit; Treviranus *de lavacro regenerationis* [7] fluenta Evangelicae doctrinae ad omnes gentes late perventura in hoc vaſe fuiſſe praefigurata ſibi perſuaſit. Alii alia excogitarunt, quibus heic adumbratas rerum fururarum imagines apte explicarent. Sed quae a Chriſtianis, quod noſtra intereſt, geſta ſint, diſpiciamus.

Johannes Nicolai in *Antiquitatibus Eccleſiaſticis ſelectis* duo contendit: nullo ſatis idoneo teſtimonio probari poſſe, Chriſtianos temporibus Apoſtolorum ritum lavandi manus ante precationem tenuiſſe, munditiemque manuum inter orandum, de qua Paullus Apoſtolus in epiſtola I. ad Timotheum, nihil, niſi abſtinentiam a malo, caſtimoniam, puritatemque cordis ſignificare [8]. Sed hominem,

qui

1 *Miſcellan. Sacr. lib.* II. *Diſſert.* II. *Narbonae Naſſaviorum* 1712.

2 Lamy *de Tabernaculo Foederis lib.* III. *cap.* IV. *&c.*

3 I. *ad Corinth.* X.

4 *In Ezech. tom.* II. *lib.* V. *Diſput.* II. *cap.* XXXIII. *Romae* 1604.

5 *Obſervationum Sacrarum lib.* I. *Lipſiae* 1720.

6 *Ultrajecti* 1723.

7 *In Miſcellaneis Groninganis tom.* IV. *Faſciculo* IV. *Groningae* 1745.

8 *Cap.* X. *de ardore Chriſtianorum ſaeculo* V. *obſervato. Tubingae* 1705.

qui ad aevum Apoſtolicum pro more ſuo provocat, locum actuum Apoſtolorum, quem jam retulimus [1], adire jubemus, ex quo diſcat, primaevos Chriſtianos ad preces fundendas prope flumen conveniſſe. Quo id conſilio, quaeſo, quave mente, niſi ut Deum obteſtaturi manus praepurgarent? Illud pariter nego, Paullum, Chriſtianos ad Deum *puras manus levare* monentem, ſolam vitae innocentiam praeſcripſiſſe, nil vero de externa emundatione cogitaſſe. Utramque ſermone ſuo luculenter, diſtincteque complectitur; ſed, quod par erat, non in ſola extima χέρνιβι more Ethnicorum innuit eſſe quieſcendum, verum divinarum legum cuſtodiam adjungendam, ut exoratus Deus precationi pronus annuat, votiſque propitius faveat. Ea ferme ratione, qua Tertullianus eos, qui precibus Divos ſalutatum veniebant, non tantum ut manibus loti, ſed culpa vacui eſſent, hortabatur. *Caeterum quae ratio eſt MANIBVS quidem ABLVTI, ſpiritu vero ſordente orationem obire, quando & ipſis manibus ſpiritales munditiae ſint neceſſariae, ut a falſo, a caede &c. pure alleventur* [1]. Splendidius, copioſiuſque hoc verſat argumentum noſter πολυμαθὴς Novarinus lib. VI. *Sacrorum Electorum* [2], quo antiquos omnes ablutionum ritus diligentiſſime perſequitur. Interim detecto Nicolai mendacio, illud firmum, fixumque maneat, caeremoniarum oſores non veritatis inveniendae ſtudio, ſed plerumque caeca mentis permotione noſtris inſtitutis refragari. Haec manuum ablutio ante rem divinam ab ipſis Eccleſiae incunabulis uſitata, quaſi per manus tradita ad omnes manavit nationes; commune namque eſt Graecis, Latinis, Maronitis, Armenis, caeteriſque Orientalibus [3], ut Presbyteri in ipſa Synaxi, poſtquam hoſtiam aeterno Patri obtulere, manus aqua emundent. Atque hujus ritus duplex cauſſa ſuppetit, alia μυϛικὴ, alia φυϛικὴ. Priorem deſcripſit Cyrillus Hieroſolymitanus initio quintae

1 *De Orat. cap.* 21.
2 *Opp. tom* III. *Lugduni* 1640.
3 Abunde id patebit legenti *collectionem Liturgiarum Orientalium Euſebii Renaudotii, Pariſiis* 1716.

tae Catecheſeos Myſtagocicae in haec verba : Ἑωράκατε τοίνυν τὸν διάκονον τὸν νίψασθαι διδόντα τῷ ἱερεῖ, καὶ τοῖς κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ πρεσβυτέροις. οὐ πάντως δὲ ἐδίδου διὰ τὸν σωματικὸν ῥύπον. οὐκ ἔστι τοῦτο. οὔτε γὰρ ῥύπον σώματος ἔχοντες, τὴν ἀρχὴν εἰσῄειμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ἀλλὰ σύμβολόν ἐστι τοῦ δεῖν ὑμᾶς καθαρεύειν πάντων ἁμαρτημάτων, καὶ ἀνομημάτων τὸ, νίψασθαι. *Vidiſtis igitur Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui circum altare Dei ſtabant, Presbyteris. Num ideo prorſus dabat, ut ſordes corporis abluerentur? Nequaquam. Nec enim adeo ſordibus foedati ſolemus ingredi Eccleſiam. Sed illa manuum ablutio ſymbolum eſt, oportere nos a peccatis omnibus, & iniquitatibus mundari* [1]. Cauſſa vero φυσικὴ, ſeu naturalis ex ipſa Liturgiae ratione emergit. Illa quippe inchoata, *Oblationes* a Fidelibus ad altare reverenter delatas Presbyteros accipere, & menſae imponere conſueviſſe, ſcitiſſimum eſt: cujus celeberrimi ritus primordia, ac viciſſitudines ſumma doctrina explicavit in aureo de ea re libro noſter Franciſcus Berlendis, homo vario litterarum ſtudio, & vita integerrime acta graviſſimus [2]. Ne igitur in perficienda *Actione* conſecratum panem, divinumque Chriſti corpus manibus ex Oblationum contactu ſordidatis tractarent, illas aqua a miniſtro [3] affuſa rurſus emundabant. Praeſtat id duplici firmare teſtimonio. *Ordo Romanus* a Mabillonio vulgatus, lotionem hanc ideo invectam monet, *ut qui coeleſtem panem accepturus eſt, a terreno pane, quem jam a Laicis accepit, manus*

1 Edit. Oxonienſis 1703. curante Th. Millea.

2 *De Oblationibus ad Altare Communib. & peculiar.* § xv. *Venetiis* 1743.

3 Joſephus Binghamus *Originum Eccleſiaſticar. lib.* xv. *cap.* iii. §. iv. *Halae* 1727. eo loco auctoris *Quaeſtionum Nov. & Vet. Teſtamenti*, qui ſub nomine Auguſtini ſcripſit, obſervat, Diaconos ubique aquam manibus Presbyteri affundere conſueviſſe; ſed in Romana Eccleſia ad Hypodiaconos id muneris fuiſſe devolutum. Romano Pontifici, & Epiſcopis ſacrum facientibus a Proceribus Civitatis aqua κατὰ τὸ τρίτον miniſtratur. De hac ablutione dubia nonnulla a ſacrorum rituum enarratoribus proponuntur. Venia mihi detur, ſi noſtros Theatinos Scriptores, Andream Caſtaldum, *Praxis Caeremoniarum lib.* ii. *ſect.* iI. *cap.* v. *Neapoli* 1625. Paulum Quarti, *Rubricae Rom. Miſſ. commentariis illuſtratae part.* II. *tit.* x. *Dub.* v. *Romae* 1655. adiri volo. Quum enim rerum Liturgicarum ſtudium ab ipſo Ordine condito noſtrarium plane proprium fuerit, cenſentur hi, omnium judicio, in ea ſcientia verſatiſſimi.

Digitized by Google

nus lavando expurget [1]; itemque Amalarius, *ut exterſae ſint manus a tactu communium rerum, atque terreno pane* [2]. Sane De Vertius, qui a ſacris ritibus reconditam, myſticamque ſignificationem arcere conatur, omniaque in his naturali quodam inſtinctu uſurpari credidit, id unum lotioni cauſſam dediſſe opinatur [3]. At hoc ipſum manifeſto indicio eſt, majores noſtros tanta erga ſacratiſſimi Corporis Chriſti ſacrificationem reverentia fuiſſe imbutos, ut huic operam dare minime auderent, niſi minuſculas piarent labes.

Quid modo de *Laicis* loquar, qui religioſiſſimo ſpiritu immaculatis myſteriis adſtabant, ut divinum capeſſerent cibum? Convenientibus illis in unum Dominicam Coenam manducare ſic praecipit S. Caeſarius: *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas* [4]. Joh. Chryſoſtomus vero hujuſmodi ritum ſic inviolabile cenſebat, ut in homilia *de ſimultate, ſive ira* talem ad populum ſermonem haberet. *μὴ τολμᾷς ἀνίπτοις χερσὶ τῆς ἱερᾶς ἅψασθαι θυσίας, κᾂν πολλὴ ἀνάγκη ἐπίκειται; μὴ τοίνυν ἀνίπτῳ προσέρχου ψυχῇ*. *Non audes illotis manibus ſacram hoſtiam attrectare, etiamſi mille neceſſitatibus premaris; ne igitur illota accedas anima* [5]. Itidem S. Anaſtaſius Monachus Sinaita, poſtea Epiſcopus Antiochenus, in oratione de ſacra Synaxi omni verborum gravitate, & ſtyli contentione illos objurgat, qui per nefariam expiationem *aqua modica abluentes manus*, ſua adhuc improbitate ſordidati corpus Chriſti accipiunt [6]. Sed praeter communem illam legem, qua omnes Deum ſupplices rogaturi mundari exterius etiam, lavarique jubebantur, peculiaris alia erat hujus lotionis cauſſa, mos ſcilicet conſecrati, divinique panis in manus communicantium tradendi, quem octavum aduſque ſaeculum liquet viguiſſe.

1 *Muſeum Italicum tom.* II. *Luteti-ae* 1689.

2 *De Eccleſ. Offic. lib.* III. *cap.* IX. *Inter PP. Liturgicos Hitorpii. Romae* 1591.

3 *Explication ſimple litterale & hiſtorique des Ceremonies de l' Egliſe tom.* IV. *Remarque* XXIV. *à Paris.* 1713.

4 *Serm.* CCXXIX. In appendice Opp. S. Auguſtini novae edit. Monach. S. Mauri.

5 *Tom.* I. *Homiliar. ad Pop. Antioch.* Edit. Frontonis Ducaei. *Pariſiis* 1621.

6 *Biblioth. PP. Lugdun. tom.* IX.

guiſſe [1]. Plura ad fidem faciendam poſſent huc conferri, ut Cypriani liber de lapſis, Baſilii epiſtola ad Caeſariam, canon CI. Trullanae Synodi, rurſus canon XXXVI. Concilii Autiſſiodorenſis, exempla demum ex Euſebii, Socratis, & Theodoriti hiſtoria petita, quorum meminit Chriſtianus Lupus [2]; quibus plane conſtat, Euchariſtiam a communicantibus in manus excipi conſueviſſe. Itaque quum, docente Apoſtolo I. AD CORINT., in re divina *πάντα εὐσχημόνως, ϗ κατὰ τάξιν* peragi neceſſe ſit, quid magis decebat, quam ſtudioſe perpoliri manus, quibus caro Chriſti erat contrectanda? Abrogata procul dubio ea conſuetudo labente ſaeculo IX., &, ſi Reginoni Prumienſi credimus, decreto Concilii Turonenſis, quo Sacerdoti ſic indicitur: *nulli autem Laico, aut feminae Euchariſtiam in manibus ponat, ſed tantum in ore* [3]. Imo vero Romanam Eccleſiam ab VI. jam ſaeculo eam ipſam tenuiſſe communicandi rationem, quae nunc ubique laudabiliter in uſu eſt, colligitur ex geſtis a S. Agapito Papa, qui quum in Graecia verſaretur, ut oblatum ſibi mutum, & claudum divinitus ſanaret, celebrata ſollemniter Miſſa, & ab altari exiens, miſit *τὸ δεσποτικὸν σῶμα ἐν τῷ σόματι αὐτοῦ* [4]. Quae quum ita ſint, temperare mihi hoc loco non poſſum, quin a Lupi accuſatione liberem doctum, piumque ſodalem meum Petrum Avitabilem, qui legatus pro Chriſto in Colchidem miſſus, inter varios errores, quibus gentem illam miſere teneri Romano Pontifici ſignificavit, hunc recenſet num. XX. *Euchariſtiam ab Epiſcopo celebrante recipiunt in propriis manibus, quam ipſimet proprio apponunt ori* [5]. An perperam *errorem* noſter

1 Patet ex I. Joh. Damaſceno *de fide Orthodoxa lib.* IV. *cap.* XIV.

2 *Synodor. Generalium, & Provincial. Decreta, & Canones. Part.* II. *Not. ad Canones Trullanos. Bruxellis* 1673.

3 *De Eccl. diſciplinis lib.* I. *cap.* CCXIX. Edit. Baluzii *Pariſiis*. 1671. Martenius tamen *de Antiq. Rit. lib.* I. *cap.* IV. *art.* X. ad Concilium Rhotomagenſe decretum illud arbitratur pertinere.

4 *Dialogorum lib.* III. *cap.* III. *opp. tom.* II. *Lutetiae Pariſiorum* 1675.

5 *Ep. ad Urbanum VIII.* Exſtat in eximio opere noſtri Clementis Galani *Conciliatio Eccleſiae Armenae cum Romana. Parte* I. *cap.* XII. *de Colchis, & Iberis. Romae* 1650. Sempiterna hominum memoria is celebrandus, quod praeclara doctrina ſua, & linguarum exoticarum ſingulari peritia gentem illam ad rectam fidem, & Sanctae Apoſtolicae Sedis obedientiam traduxerit.

ſter appellavit , quod a communi abhorrebat Liturgia , quod ab Eccleſia jamdiu vetitum ſciebat ? Quo debitam ſacris reverentiam non minui modo , ſed tolli animadvertebat ? Quid , quaeſo , erit error , ſi hoc non eſt ?

Alia ad extremum fuit virtus , vel potius ſignificatio , quae manuum lotioni ab Hebraeis tribuebatur . Ea nimirum criminis ſuſpicionem amoveri poſſe credebatur . Qui enim conteſtari vellent , alicujus ſceleris ſe innoxios , neque ullius caedis reos eſſe , in conſpectu populi manus aqua lavabant . Hinc callidum illud , ſed nequiſſimum Pilati conſilium , quo cenſuit , in morte Chriſti Jeſu culpam a ſe poſſe depellere , eamque in Judaeorum pervicaciam tranſferre . Non latet me , diſputari a nonnullis , an Pilatus poſtquam capitale ſupplicium denunciavit , vel Jeſum Nazarenum furentis populi arbitrio permiſit , *Romano* , vel potius *Hebraico* more, manus laverit ad ſui innocentiam teſtandam . Magnus annalium ſacrorum parens VEN. Baronius [1] Judaicum ritum eſſe ſequutum ſcripſerat ; in quo Origenem (*Tract.* xxxv. *in Matthaeum*) auctorem adhibuerat . At Caſaubonus , quem rixandi , calumniandique libido in diverſa jugiter impulit , Romana conſuetudine id a Pilato factum affirmat [2] . Caſaubono adſtipulatur Merillius *in Notis ad hiſtoriam Paſſionis* [3] , eamque regerit cauſſam : *vix probabile eſt , hominem Romanum morem Judaeorum ſequi voluiſſe* . Proh Deum immortalem ! In homine adeo vafro , flagitioſo , ſceleſto , qui jura omnia violavit , rerum gerendarum delectum quaeris ? Praeterquamquod proclivius multo erat homini , qui ſic Judaeos verebatur , eorumque tantopere indulgebat voluntati , regionis potius , quam patriae ſuae conſuetudini inſervire . Laetandum nobis etiam eſt , quod , Caſaubono jure deſpecto , in Baronii ſententiam conceſſerint Voſſius [4] , & Binaeus [5] , qui eidem patrocinari tradit

1 *Ad an.* xxxiv.

2 *Exercit. in Baronium. Exercit.* xvi. *cap.* lxxv. *Genevae* 1655.

3 Apud Kippingium *Antiquit. Rom. lib.* i. *cap.* xi. *pag.* 237. *Lugduni Batavor.* 1713.

4 *Harmonia Evangelica de Paſſione , & morte Chriſti lib.* ii. *cap.* v. §. xxxix. *Amſtelod.* 1656.

5 *De Morte Chriſti lib.* iii. *cap.* iv. *num.* li.

dit, Einſium, Wiſſembachium, Schmidium, Wangeſelium [1]. Adde iſthuc Cl. Agellii judicium, a quo ſapienter animadverſum eſt, penes Judaeos legem lavandi manus ad caedis ſuſpicionem depellendam haberi expreſſiſſime in DEVTERON. CAP. XXI. Romanis contra perſuaſum quidem fuiſſe, homicidium lotione poſſe piari, ſed numquam in more extitiſſe, ut qui hominis occiſione culparentur, χέρνιβι ad injuſtam poenam avertendam, uterentur [2].

Haec differens video, aliquid mihi eſſe dicendum ob argumenti affinitatem de uſu AQVAE PROBATIONIS apud Chriſtianos, quum crimine purgare ſe vellent, objectamque accuſationem calumniae, mendaciique propalam arguere. Non haec porro ſimplex *balneatio*, ſed formidabile, maximumque experimentum, quo metu exhorreſcerent, qui ſe ſe illi ſubjicierent, & id genus lotionem peragerent. Diverſa, ac multa fuere acerba haec *purgationis Canonicae* judicia [3], quibus occulta crimina furti, adulterii, homicidii &c. panderentur, eaque diffuſe commemorant Guibertus Novigenti Abbas [4], Pithoeus [5], Juretus [6], Lindebrogius [7], Martenius [8]: quae quamvis ſummo periculo non vacarent, probatiſſima tamen fuerunt viris graviſſimis, iiſdemque ſanctiſſimis. Inter haec illud recenſendum, quod *Judicium aquae* appellant veteres tabulae, & ſcriptores [9]. Precationes, jejunia, Corporis Dominici participatio, Miſſae ſacrificium peculiari ritu confectum, velut diligens, & neceſſaria ad hoc experimentum praeparatio, adhibebantur. Sacrificio expleto, Sacerdos veteri, ſollemnique caeremonia aquam conſecrabat, & purgandis, probandiſve bibendam porrigebat. Deinde obteſta-

R tio-

1 V. de ea ſe Johannis Adami Conig Diſſertationem *in Theſauro Biblico Theologorum Proteſtantium tom.* II. *Amſtelodami* 1702.

2 Antonius Agellius ex Clerico Regulari Epiſcopus Acerni. *Commentarii in Pſalmos, & Cantica in Pſalm.* XXII. *&* XXV. *Pariſiis* 1611.

3 Adi Van-Eſpenium *Jus Eccleſiaſt. Univerſ. part.* III. *tit.* VIII. *cap.* IV.

4 *Lib.* III. *cap.* XIV. *de vita ſua*. Edit. Dacherii *Luteciae* 1651.

5 *Gloſſar. ad Capitularia Caroli Magni* apud Baluzium *lib. cit.*

6 *Not. ad Jvonem Carnotenſem ep.* LXXIV. *Pariſiis*. 1641.

7 *Ad Formulas ſollemn.* Baluzius l. c.

8 *A. R. lib.* III. *cap.* VII.

9 Du-Freſnus *Gloſſar. v. aquae jud. t.* I. *Pariſiis* 1733.

tiones, obſecrationeſque ſequebantur, ut Deus diabolicas averteret verſutias, vimque infunderet balneo, in quod purgandus fune colligatus (ne fraudem aliquam patraret, neve, ſi inſons eſſet, vita periclitaretur) immergebatur, ad id patefaciendum, prodendumque, quod hoc experimento quaerebatur. Qui eſſet inſons aquae ſupernatare, ut plurimum, putabatur, mergi autem qui eſſet reus [1]: ac prodigia caelitus quandoque ad experimentum confirmandum accidiſſe perhibentur [2]. Falſo autem Grimaudus [3], deperditas exiſtimavit caeremonias, quibus aqua probationis conſecrabatur, quandoquidem illae non uno in libro vulgatae leguntur [4]. Neque illud hic tacitus praetermittam, quod Mabillonius in Analectis ſumpſit demonſtrandum, videlicet probationem per aquam ab Eugenio II. fuiſſe inſtitutam [5]. Quamvis monumenta ex antiquis membranis ducta ad id afferat, credibile vix ſibi videri, ait Nat. Alexander [6], Pontificem illum, qui alios jurandi, ſummique numinis obteſtandi mores ob periculum perjurii abrogarat, hunc unum invexiſſe, quo Deus ſic audacter, ac temerarie provocatur. Huic judicio abolendo tum Pontifices, cum Imperatores animum, curamque adjecerunt. Nam praeter Concilii Lateranenſis IV. Canonem XVIII. quo Sacerdotibus, & Clericis inhibetur, ne τοῦ καθαρισμοῦ ὕδατος ζέοντος, ἢ ψυχροῦ conſecrationem, aut benedictionem impendant, probationem hanc lege interdixit Ludovicus Pius [7]; tribuendumque arbitror temporum ruſticitati, vel populorum inſcitiae, quod (ſi vera narrat Delrius) [8] alicubi hocce examen, judiciumque *in cauſa maleficii* impune, bonaque fide adhuc exer-

1 Contra tamen exiſtimandum de innocentia merſorum putabatur. V. Dufreſnium *ibi*.

2 Gregorius Turonenſis *Hiſtor. lib.* II. *cap.* 1. Edit. Ruinartii *Lutetiae* 1699. Ludovicus Cellotius ad Hiſtoriam Gotteſchalchi *Append. Pariſiis* 1655.

3 *Traité de l'Eau Benite à Pariſ.* 1686.

4 Baluzius *tom.* II. *capit.* Martenius *l. c.* Dufreſnius *ubi ſupra &c.* Ordo s. Dunſtani apud Novarinum. *Sacr. Elect. lib.* VI. *cap.* VIII.

5 *Analectorum. Tom.* I. *pag.* 47. *&c. Pariſiis* 1675.

6 *Hiſtor. Eccl. ſaec.* IX. *cap.* I. *art.* IV.

7 *In Capitular. Wormatienſi cap.* XII. Baluz.

8 *Diſquiſition. Magic. lib.* IV. *cap.* IV. *&c. Moguntiae* 1603.

exerceretur. Quod ſi primam hujus Canonicae purgationis originem, cauſſamque ex me quaeras, non illa mihi probatur, quae Hincmaro Remenſi. *Solertia Chriſtianitatis*, inquit ille ad Hidelgarium Epiſcopum Meldenſem ſcribens, ***inter acta, & agenda judicia conſiſtentis, ex antiquo ſanxit, & frequentavit judicium, quod fit per aquam, quodque ſub Noë factum fuerat in arca fidei, liberans innocentes, & condemnans noxios*** [1]. Sed multo veroſimilius inductum id genus judicii crediderim exemplo ***aquae Zelotypiae, & argutionis***, cujus hauſtu in libro NVMERORVM CAP. V. juſſit Deus, aut probari innocentiam, aut patefieri perfidiam uxoris, quam iniquo, illicitoque concubitu thalamum laeſiſſe maritus dubitaret [2]. Tanta eſt utriuſque judicii ſimilitudo, ſive finem ſpectes, quo utrumque fuit inſtitutum, ſive formulas, & adjurationes, quibus aqua conſecrabatur, bibendaque porrigebatur, ſive reliqua adjuncta, quae experimentum comitabantur, ut quamvis in priori ſola aquae potatio adhiberetur, in poſteriori vero immerſio addita fuerit, nihilominus alterum alteri praeluſiſſe videatur.

1 *Edit. Sirmondi. Pariſiis* 1645.

2 Frequens id ſemper Ethnicis, ut quae ab Hebraeis, Deo inſpirante, fieri viderent, id artificioſe imitarentur, ut ſuae religioni auctoritatem conciliarent. Hinc enatae fabulae illae, quae in antiquis ſcriptoribus occurrunt, de mirabili quadam aquarum efficacitate ad occulta ſcelera patefacienda. Solinus *Polhiſtbor*, c. 11. & 2. *Pariſiis* 1629. fontes in Sardinia fuiſſe tradit, coarguendis perjuriis, & furibus. Nempe detegebatur facinus caecitate, qua illico reus tenebatur, quum aquis illis, ceterum ſalubribus, oculos eluiſſet. Solino accinit Dionyſius Afer inſigni tetraſticho in *Periegeſi* ubi de Sardinia. (*edit. Oxonien.* 1717.) Similem extitiſſe apud Tianaeos aquam perhibet Philoſtratus *in Vita Apollonii lib.* 1. c. 4. *Lipſiae* 1709. Alibi etiam id genus jactata prodigia enumerat Angelus Zavarroni *in Epiſtolis Genialibus ep.* x., quae eſt de antiquis purgationibus. *Neapoli* 1740. Compertus praeterea eruditis vetus Celtarum mos, quo mulierum integritas, foetuſque, an eſſet adulterinus, explorabatur. Infans ex ſuſpecta uxore ſuſceptus ad Rheni fluminis undas deportabatur, ac ſi quidem mater caſtum ſervaſſet conjugium, nullum puerulo imminebat periculum; verum ſi in adulterii crimen genitrix incurriſſet, flumen impuri lecti vindex infantem abſorbebat: Sic plane Nonnus *in Dionyſiacis lib.* xiii. *Colon. Allobrog.* 1606., ac Julianus Imp. ad Maximum Philoſophum, *ep. Pariſiis* 1630. At quis eſt, qui ad putida, & inficeta commenta haec non rejiciat, & mendacia eſſe, vel praeſtigias ad fallendum compoſitas non norit?

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Varia de conchis, labris, vaſis in pronao, aut narthece ſacrarum aedium antiquitus poſitis proferuntur monimenta. Memorandus s. Juſtini locus. Inſigne Eccleſiae Piſaurenſis nymphaeum nunc primum e tenebris excitatum. Quid ſibi velit MANVS in eo exſculpta. Mutilae inſcriptionis nymphaeo additae Cl. Corſini ingenioſa, & vera interpretatio. Anaglyphum ſacrum Foro-Cornelienſe illuſtratur.

NEMINI dubium eſſe arbitror ex veteri illo, perpetuoque ritu, ne quis a Deo veniam, praeſidiumque exoraret, niſi vultu, manibuſque ablutis, alterum eſſe profectum, ut ante domum divinam, atque in ſacrarum aedium narthece [1], veſtibulo, pronao, atriove conchae, vaſa, labra, canthari, ciſternae, fontes, nymphaea proſtarent; quae aquam intrantibus ad lavationem affatim ſuppeditarent. Scriptores porro eruditiſſimi, qui in antiqua Templorum ſtructura, eorumque partibus explicandis laudatiſſimam operam collocarunt, de hiſce marmoreis, vel metallicis urnis aquariis carptim ediſſeruerunt. In tanta tamen librorum ſatietate, a quibus enumerandis ſuperſedeo, vix fuit, qui hoc argumentum ex profeſſo ſuſceperit exponendum, ſi Bulengerum, ubi *de Donariis Roman. Pontificum* [2], & Thierſium *de Porticibus Eccleſiarum* [3] excipias, a quibus aliquanto latius de ea re eſt diſputatum. Itaque plurimi exiſtimo intereſſe, ſi hoc materiae genus diligentius, copioſiuſque tractabo, & ad praeſtantiſſima teſtimonia, ac monimenta, quae in Latinorum, Graecorumque extant libris, conquirenda, excutiendaque animum convertam: ut quoniam haec *Aquiminalia* apud Chriſtiânos in locum balneorum ſucceſſiſſe creduntur, nihil huic noſtro ope-

1 Variam eſſe hujus vocabuli acceptionem, & de *Narthece* diverſa a ſcriptoribus Graecis tradi, facile diſces ex libro Leonis Allatii *de Narthece Eccleſiae veteris ad Gaſparem de Simeonibus. Coloniae Agrippinae* 1545.

2 *Lib.* II. *c.* XIII. & XV. *Lugd.* 1621.

3 *Des Porches de l'Egliſe à Orleans* 1679.

operi deſit, quod in eo a lectoribus exquiri, expectarique facile poſſet. In quo mirari minime ſubit, Ethnicos, qui, ſicut mox dicebam [1], Hebraeorum inſtituta, ritusque eo ſtudioſius imitabantur, quo magis ſuae religioni exiſtimationem, famam, auctoritatemque aucuparentur, conſueviſſe prae delubris, & fanis, ac prope ſacros lucos hydrothecas exſtruere, puteos fodere, fontes corrivare, ut aquam pro luſtrationibus praeſto haberent [2]. Sed quid heic deprehendas, niſi Diabolicam verſutiam, & antiqui hoſtis ſtudium ea, quae eſſent humano generi divinitus conceſſa, in ejusdem perniciem, fraudemque malitioſe aemulandi? Eſt id ab Juſtino Martyre, ac Philoſopho animadverſum in priori Apologia, qui poſtquam illa Eſaiae verba cap. XVIII. *λύσασθαι, καθαροὶ γένεσθε, lavamini, mundi eſtote &c.* recitavit, optime, docteque ſubdit: *καὶ τὸ λουτρὸν δὴ τοῦτο ἀκούσαντες οἱ δαίμονες διὰ τοῦ* Προφήτου *κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας, λοιβὰς, καὶ κνίσας ἀποτελοῦντας; atque lavacrum, quum Daemones audiviſſent praedicatum a Propheta, perfecerunt, ut qui templa* (Deorum) *erant ingreſſuri, iiſque ſupplicaturi, & libamina, ac nidores delaturi, ſe ipſos aſperſione aquae luſtrarent* [3]. Pergo jam, quae ſpopondi, teſtimonia percenſere.

Illuſtre imprimis illud Paullini in deſcriptione templi a ſe conſtructi [4], ubi ſic habet:

Denique ciſternas adſtruximus undique tectis
Capturi, fundente Deo, de nubibus amnes,
Vnde fluant pariter plenis cava marmora labris.

Rur-

1 In poſtrema ſuperioris Capituli nota. Pluribus id jampridem demonſtratum ſcimus a viris doctis Bochartio, Huetio, Lavaurio, Claſſenio, Kortholto, aliiſque, quorum argumenta non eſt hujus loci percenſere.

2 V. *Saubertum de Sacrificiis Veter. cap.* 11. Itemque ea, quae nos ipſi protulimus in libro, *Puteus Sacer Agri Bononienſis, juſſu P. M. Benedicti XIV. commentario explicatus. Romae* 1756.

3 Num. 62. edit. Monac. a S. Mauri. *Hagae Comitum* 1724.

4 *Natal. S. Felicis IX. Poema* XXIV. *edit. Pariſien.* 1685.

Rurſus de novis aedificiis agens [1], quibus S. Felicis baſilicam auxerat, ait:

Cujus in expoſito praelucens cantharus exſtat,
Quem cancellato tegit aerea culmine turris.
Cetera diſpoſitis ſtant vaſa ſub aere nudo
Fonticulis, grato varie quibus ordine fixis,
Diſſidet artis opus, concordat vena metalli.

Tum in epiſtola XXXII. mittens Sulpicio Severo Primuliacenſi in Aquitania Presbytero epigrammata a ſe in Nolana baſilica deſcripta, inquit, ſuper medianum arcum e regione illius hoſce verſus legi:

Sancta nitens famulis interfluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne miniſtro.

Denique in epiſtola XIII. ad Pammachium, in Vaticanae Baſilicae veſtibulo affirmat, vidiſſe ſe *cantharum miniſtra manibus, & oribus fluenta ructantem, quem faſtigiatus ſolido aere tholus ornat, & inumbrat*. Incredibilis certe fuerat Romanorum Pont. in ſacris Vrbis aedibus omni cultura, ac ſumptuoſa ſupellectili ornandis, ideoque illorum cura, auſpiciove non in Vaticani modo, ſed etiam in aliorum templorum atriis id genus nymphaea in populi commodum variis temporibus fuiſſe extructa accepimus. Quem autem in hac cauſſa potiorem adhibeam teſtem, quam unum Anaſtaſium, a quo Pontificum hiſtoria litteris diligentiſſime tradita eſt? Quot ille effert laudibus conchas ſtriatas, fontes mirae pulchritudinis, & faſtigiatos, labra porphyretica in atrio, vel triporticu Eccleſiarum ab Anaſtaſio II. Hilaro, Symmacho, Sixto PP. aedificata? Commendari etiam plurimum debet Cantharus a Leone Magno PP. ante Baſilicam Oſtienſem ad ablutionem manuum poſitus, qui Ennodio Ticinenſi tanti

1 *Natal. X.*

tanti viſus eſt, ut de eo octaſtichum ſcripſerit, quem Sirmondus vulgavit [1]. Habes illum:

Vnda lavat carnis maculas, ſed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fides.
Quiſque ſuis meritis veneranda ſacraria Paulli
Ingrederis, ſupplex ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longaeva incuria curſus,
Quos tibi nunc plenos cantharus ore vomit.
Provida Paſtoris per totum cura Leonis,
Haec ovibus Chriſti larga fluenta dedit.

Quod ſi cum litteratis monimentis figurata contuleris, moris hujus exemplum apud Rubeum in hiſtoria Ravennati, Cangium in familiis Byzantinis, Alemannum in notis ad hiſtoriam arcanam Procopii, Ciampinium Vet. Mon. tom. I. tibi ad oculos accurret; nimirum in tabula opere vermiculato S. Vitalis Ravennae, qua Theodora Juſtiniani Imp. uxor procerum, ac matronarum turba ſtipata, templumque ingrediens exhibetur. Nam ad aedis illius januam carbaſeo velo ornatam eſt vas columellae impoſitum, artificioſeque fabrefactum, ex quo aqua duplici ſiphunculo compreſſa utrinque exilit, iterumque communi liquidorum motu in illud defluit. Quid hic niſi luſtralis aquae fons ad lotionem, purificationemque ingredientium paratus?

Sed quoniam antiquitas omnibus in rebus, teſte M. Tullio, uberrimam ſcientiam affert, praeſtabit ſane litteratorum hominum oculis hic objicere nobiliſſimum, nondumque editum ſacrum NYMPHAEVM non procul ab Vrbe Piſauri ante non multos annos eruderatum, delatumque deinde in proximum agris illius oppidulum Geneſtretum, & prope Curiam Paroecialem conlocatum. Clariſſimus J. B. Paſſerius olim ad vices Epiſcopi Piſaurenſis juri dicundo praefectus, nunc in ipſa Metaurenſi Provincia a cognitionibus, vir ob im-

1 Ennodii Opera habes in I. Tomo Operum Jacobi Sirmondi *Pariſiis*. 1696. Octaſtichon autem ad Carmen CXLIX.

immenſa ſua in rem litterariam merita, exquiſitamque totius antiquitatis peritiam apud eos, qui recte judicant, magno ſemper in honore, ac nomine habitus, ubi inſigne hoc monumentum e terrae viſceribus, quibus per tot ſaecula concluſum delituerat, eductum reſcivit, illuc nymphaei contemplandi cauſſa perrexit, manu ſua ſumma fide delineavit, & pro ſingulari, qua in me eſt animatus, benevolentia graphidem, qualem hic aeri inciſam TAB. III. contuendam exhibeo, humaniſſime tranſmiſit. Plura etiam de hujus marmoreae capſae uſu, deque anaglyptis figuris, quibus quaquaverſum illa conveſtitur, docte perſcripſit; quae tamen homo modeſtiſſimus, ſummo ingenio ſuo, ſummae eruditioni nihil tribuens, noſtro permiſit judicio. Aggredior itaque amico optumo, & ſuaviſſimo gratificari, & monumentum, quantum per vires licet, hac mea commentatione illuſtrare. Sic autem de eo dicere incipiamus. Conſtat, nymphaeum ex lapide peregrino, qui Tiburtino fere reſpondet. Longitudo eſt pedum ferme VII., latitudo amplius, quam III., ejuſdemque menſurae excavatio, ſeu profunditas. In poſtica parte duabus feneſtellis, ſive infundibulis ſaxum pervium eſt, quorum hiatu veroſimiliter aqua intromittebatur, quae deinde per tredecim forulos, ſeu canaliculos (quos atro colore exprimi curavi) in fronte, atque in gemino latere exciſos, quoties eſſet opus, manabat, ac diffluebat. Quod vero quadratarius marmor tredecies perforarit, caſu potius, quam meditate factum credo, nec numero quidquam luſiſſe exiſtimo [1]. Vrnam hanc prae foribus Piſaurenſis Eccleſiae quondam, aquae luſtrali continendae, fuiſſe poſitam, ſed ineluctabili illa viciſſitudine, ac varietate, qua res omnes temporum progreſſu perturbantur, loco ſuo diſturbatam, nullus dubito. An non Martyrum ſepulchris, ac conditoriis, imo ipſis altaribus, ne de caeteris templi ornamentis dicam, id ipſum eve-

1 Non me praeterit, antiquos duodenario numero eſſe delectatos, quod is perfrequenter in divinis litteris occurrat; ideoque in templis, altaribus, baptiſteriis ornandis columnas, icones, ſtatuas, ſtylobatas duodecim appoſuiſſe. An hoc ipſum de foraminibus aut ſtillulis noſtri nymphaei dicendum ſit, vehementer dubito.

eveniſſe comperimus, ut quandoque procul aſportata, vix intelligamus, cur in profanis locis ea a foſſoribus detegantur? Ad urnae aetatem quod ſpectat, opus ſaeculi ad minimum ſeptimi jure cenſeri poſſe, cum Cl. Paſſerio non invitus crediderim. Vſum autem illius eum procul dubio exſtitiſſe decerno, ajoque, ut in ipſo templi aditu perennis ille latex praeſto eſſet non tam intrantibus ad ſui purificationem, quam rerum ſacrarum adminiſtris ad eas omnes caeremonias, quibus perficiendis *Aqua conſecrata* impendebatur, obeundas; quod ex ipſa ſingularum partium explicatione multo perſpicujus cognoſcetur.


Quid ſibi vult erecta *MANVS*, atque in modum *benedicentis* conformata, in medio urnae ſcalpta? Eruditis jampridem exploratum, hocce ſymbolo omnipotentiam aeterni Numinis deſignari, dextera ſua excelſa mirabilia patrantis. Nam etſi priſci Chriſtiani a pingendo Deo ſub hominis forma, atque ſpecie corporali maxime abſtinerent, ne haereſi Anthropomorphitarum favere putarentur; nihilominus ad externa illius opera exprimenda iiſdem imaginibus utebantur, quas in divinis litteris, arcanis rebus proprie, ac ſenſibiliter ſignificandis adhibitas fuiſſe, probe norant. Quare quum viderent, Prophetas quicquid a Deo fortiter, mire, valide geſtum eſſet, *opus manus illius* rectiſſime nuncupare, *Dexteram*, tamquam accommodatiſſimum *operationis* typum, pingi poſſe rebantur. In quo ſe Auguſtini in ep. CXLVIII. ad Fortunatianum Epiſcopum Siccenſem; Hieronymi ad Damaſum, Cyrilli Alexandrini in III. ΓΛΑΦΥΡΩΝ, imo communem Patrum ſententiam [1], judiciumque ſequi cognitum

S tum

1 V. Delrium *Adagialia Vet. Teſtam. tom.* 1. *adag.* CXI. *Lugduni* 1614. Elatae manus in Ethnicorum ſepulchralibus monumentis ſculptae aliquando cernuntur; ſed alio prorſus in his ejuſmodi ſymbolum ſpectat. Edidimus anno 1751. Typis Paſcarinis opellam, quam inſcripſimus, *Diatribe, qua Graeci Anaglyphi interpretatio traditur*. Atque in ea evidenter, niſi omnia me fallunt, demonſtravi, ἔμβλημα illud nihil aliud eſſe, niſi quamdam vehementis doloris ſignificationem, & figuratam querimoniam adverſus Superos, quum acerba, ac praematura mors quempiam vita expellebat, omnique luce privabat. Atque id maxime apparere dixi ex eo, quia hocce ſymbolum tantummodo reperitur in monumentis, quae vel parentes, vel conſanguinei poſuerunt pueris innocentiſſimis, aut propinquis in ipſo juventae flore e vita praepropere ſublatis.

tum habebant. Jam vero quia ſolius Dei poteſtate accidit, ut aquae per certas formulas, coeleſtique invocato praeſidio ab Eccleſia conſecratae ea ſupra naturam virtus immittatur, quae purgationem praeſtare, incantationes, veneficia avertere, cacodaemones pellere, morbos averruncare, agris, ſegeti, armentis etiam incolumitatem afferre valeat, nulla aptiori figura poterat a Piſaurenſibus indicari aquae in ea urna contentae tributa coelitus efficacitas, quam uſitato, & authentico elatae dexterae ſymbolo. Atque illud Piſaurenſium conſilium multo luculentius eluceſcet, ſi ad inſculptam marmori inſcriptionem animum advertes. Diu quidem, multumque in eo ſtudium poſui, ut hiulcam hanc epigraphen interpretarer, evanidos characteres refingerem, lacunas ſupplerem, notaſque compendiarias extricarem; ſed, ut fatear ingenue, quod verum eſt, omnis a me fruſtra ſuſceptus eſt labor, omniſque inutilis ceſſit opera. Quin etiam, quum non unum
ex

tia. Poſt editum opus, Neapoli dum eſſem, incidi in marmor, quo hanc meam ſententiam magis, magiſque roborari ſtatim animadverti; eapropter ad fidem autographi deſcriptum hic cum litteratis viris communico.



Digitized by Google

ex eruditiſſimis amicis compellaſſem, omnibus ἀνυπέρβλητος, Gordio nodo inextricabilior ea viſa eſt. Animum proinde jam deſponderam, & epigraphen, velut deſperatae lectionis rem, tacitus praeterire meditabar, niſi praeclara, & incredibili doctrina ſua opitulatus eſſet, tutamque viam monſtraſſet ſapientiſſimus Eduardus Corſinus, homo omnium acutiſſimus, aureis ſuis, & immortalibus ſcriptis celeberrimus, atque in mutilis, implexis, ac difficillimis inſcriptionibus feliciter reſtituendis, interpretandiſque ſupra fidem ingenioſus. Accipe ergo incomparabilis viri, amicique ſubtilem, & eximiam divinationem.

Principio quidem illud pro certo ſtatuit Cl. Corſinus, neque numerales notas in tam longa litterarum ſerie poſſe contineri, licet aliquot ita ſint copulatae, ut his certus numerus exprimi queat, neque ullum nomen exinde poſſe conflari. Sunt igitur, inquit ille, verba compendiarie deſcripta, nonnullis praetermiſſis litteris, ac praeſertim vocalibus: quae ſcribendi ratio in Chriſtianis marmoribus occurrit, ut illud CMPRVNT pro *Comparaverunt*, & alia id genus. His animadverſis, integram inſcriptionem in hunc modum ſupplendam, atque reconcinnandam arbitratur.

1	2	3	4	5	6	7	8
DXTR.	D.	FECT.	U.	DXTR.	D.	EXLTU.	M.

Senſus autem, Corſino auctore, is erit.

Num. 1 DEXTERA
2 DOMINI
3 FECIT
4 VIRTVTEM
5 DEXTERA
6 DOMINI
7 EXALTAVIT
8 ME

 Sen-

Digitized by Google

Sententiam utrinque claudunt ſiglae A. & ω. , quibus innumera Chriſtianae vetuſtatis monumenta , etiam antequam Ariana haereſis graſſaretur [1] , perornari ſolebant . In duobus aliis elementis C. P. ante A deſcriptis nomen illius fortaſſe latet, qui opus fieri curavit . Quam ſapienter , recteque titulum hunc interpretatus ſit inſignis noſter Muſagetes , & quam apte verſiculum illum Psalmi cxvii. cum ſymbolo manus conſociarit , argumento ſunt alia marmora hac ipſa inſcriptione , eodemque inſimul emblemate inſignita . Duo ex multis , quae poſſent proferri , praeſtabit commemorare . Exſtat Ravennae in interiori cavaedio ampliſſimi Coenobii s. Mariae Portuenſis Canonicorum Regularium oſtio , quo in porticum aditus patet , impoſitum anaglyphum Crucem referens , cui incumbit exſculpta manus in benedicentis formam duobus digitis annulari , & auriculari de more inclinatis . In ſuperna , ac prominenti crucis haſta , legitur DESTERA , in tranſverſaria trabe hinc DOMINI , illinc FECIT , inferne vero VIRTVTĒ . Fuldae item (ne Italica tantummodo conſectari videar) ſepulchrum ſtrenui militis Simonis de Sliteſe , a Schannato [2] editum pari Symbolo , ſimilique epigraphe diſtinguitur . Ergo quemadmodum praepotens Dei manus virtutem ſuam prodidit tum in memorati Coenobii aedificatione , ope largius erogata , tum in tribuenda militi victoria , ita eamdem , imo ampliorem , ac mirabiliorem in *aqua ſanctificanda* portendere convenientiſſime hic affirmatur . Exemplis recenſendis ſuperſedeo , lectoreſque

1 Fridericus Otto Menkenius in diatribe *de Monogrammate Chriſti cap.* 11. *Lipſiae* 1734. falſiſſime contendit , non ante Conſtantini aetatem litteras A. Ω. in Chriſtianis monumentis uſurpari coepiſſe . Mendum caſtigarunt ex noſtris Georgius *de Monogram . Chriſti Domini cap.* III. *Romae* 1738. Joſeph Allegranza O. P. *Spiegazione di alcuni ſacri monumenti di Milano . Diſſ rt.* 11. *Mil.* 1757. Qui litterariis Lapidibus Conſtantino indubitate vetuſtioribus prolatis aliter omnino aeſtimandum docueruat . Illud tamen non inficiamus , poſt enatam Arianam haereſim multo frequentius , ac ſtudioſius binas haſce ſiglas omnibus pene monumentis ab Orthodoxis fuiſſe additas , ut , quoniam his *Divinitas* Jeſu Chriſti , cui omnia a Patre tradita ſunt , perbelle declaratur , duo ea elementa eſſent velut teſſera , qua Catholicorum conditoria primo obtutu ab Arianorum diſcernerentur , qui illas de induſtria omittebant . De hujus teſtimonii vi conſule Phoebadium , ſive Sebadium IV. labente ſaeculo Agenni in Gallia Epiſcopum in *libro contra Arianos Pariſiis* 1586.

2 *Traditiones Fuldenſes p.* 366. *Lipſ.* 1724.

reſque libenter ablego ad eruditiſſimos ſcriptores Garampium [1], & Bottarium [2], a quibus multo uberius res eſt diſputata. Interim opportunus ſatis locus mihi objicitur, ut rei confirmandae toreuma proferam Foro Cornelii in ſuburbio Portae Romanae adhuc exſtans muro affixum.



Puriſſimus ille AGNVS humani generis pacificator, *qui occiſus eſt, & redemit nos in Sanguine ſuo* [3], atque ob ſublatam morte ſua diuturnae captivitatis ignominiam, ac poenam, tamquam libertatis noſtrae vindex, tutatorque ſalutis in Chriſtianis cujuſvis generis monumentis cernitur expreſſus, hic perbelle cum MANV copulatur, ut exinde demonſtretur, grande illud opus noſtrae Redemptionis omnipotentiam Dei prae caeteris commendare [4]; aut ut meminerimus, neminem in Eccleſiam, cujus typus eſt Agnus, intrare, niſi Deo manuducente, neminem ad beatiſſimas, & coeleſtes Agni nuptias pervenire, niſi Pater dextera ſua potenti traxerit illum. Indulgentiam fortaſſe etiam hominibus hoc duplici ſymbolo portendi, atque ad eam ſontes, ſceleſtoſque invitari, non injuria augura-

1 *De Nummo Argenteo Benedicti III.* cap. v. §. XIII. *Romae* 1749.

2 *Sculture, e Pitture ſagre eſtratte da i Cimiterj di Roma. Tom.* I. *Tavol.* XV. XX. *&c. Roma* 1737.

3 *Apocalyp.* v.

4 V. Thomaſſinium. *Theolog. Dogm.* tom. VII. *lib.* I. *cap.* I. *Pariſiis* 1680.

guratur vir litterarum bono , & fauſtitati natus Corſinus . Qui idcirco putat anaglyphum fuiſſe primum templi alicujus poſtibus infixum , ut qui illud conſpicarentur ſtatim cogitarent , peccatorum vincula illic laxari , & abolitionem criminum indulgeri , ad eamque percipiendam proni accurrerent . Cui quidem conjecturae plurimum ſuffragatur inſcriptio ECCE AGNVS DEI &c. In inferiori marmoris ora deraſae penitus , ſcalproque deletae ſunt litterae , quibus citra ullam dubitationem artificum nomina continebantur . Nam quid exhibent ſuperſtites minuſculae litterae , non eo ordine ſculptae , quo divina ſententia circulatim deſcripta eſt , ſed inverſo , quemadmodum praecedentium (quarum ſenſum iſtae perficiunt) poſitio poſtulabat ? Habes

..... mvs hoc opvs

ut continuo deprehendas , priorem vocem eſſe ſic redintegrandam, *Fecimus*. Eccui vero obſcurum eſt, jam ab undecimo ſaeculo , inſequutiſque temporibus artifices cuivis operi , ſacriſque omnibus donariis , baptiſteriis , ciboriis , pulpitis , turriculis , lipſanothecis , valvis , campanis , imo & virorum principum numiſmatibus nomen ſuum appoſuiſſe ea formula , *hoc opus fecit , fecerunt , fecimus &c.* ? Nunc ad reliqua progrediar , meque ad meum munus , penſumque revocabo .

CA-

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Num ſeptem Eccleſiaſticae Hierarchiae officia in concha Piſaurenſi expreſſa. Hypodiaconus in vetuſtis monumentis inter minores adminiſtros depictus. Caeremoniae Catechumenatus veroſimilius huic urnae inſculptae. Exorciſmum a Clericis ubique peractum, tradit Coeleſtinus PP. Exorcizandis calceamenta, veſteſque detractas, ex libello Cleri Apameenſis evincitur. Lineae veſtis Acolythorum meminerunt antiqua Concilia. De habitu Sacerdotali palmaris, & inficeta Heineccii impoſtura confutatur. COMPETENTES ante Baptiſmum Cruce in pectore inſigniti. Caetera nymphaei emblemata, ex ſacris litteris ducta, quid portendant.

Tabellam principem, in qua manus ſculpta eſt, binae excipiunt figurae, homines referentes veſtibus cruce inſignitis indutos, & venerandum ſalutis lignum, militiaeque Chriſtiane vexillum manu geſtantes. *Diaconum*, & *Hypodiaconum* hic repraeſentari Cl. Paſſerio viſum eſt, qui in epiſtola ad me data ſententiam ſuam his verbis declarat. „ Adſtant in cellulis gemini ex ſacris „ Miniſtris, quaterni in poſtica facie, quorum numero „ ſi manum benedicentem accenſeas, quae ſymbolice ad „ Sacerdotium alludit, ſeptena Eccleſiaſticae Hierarchiae „ officia facile emergunt. Diaconus cum cruce gemmata, Hypodiaconus cum cruce haſtata. Firmat hanc „ meam conjecturam crux in utriuſque pectore obſignata, quae minoribus Clericis haud conveniebat „. Verum, venia ſit dicto, imperare mihimet non poſſum, ut tanti viri judicio conſentiam, licet illi plurimum ſemper tribuerim, mutuoque ambo jungamur amore. Nam primo *manus* non Sacerdotis, ſed aeterni Numinis ſymbolum a majoribus noſtris conſtanter habita eſt, illius nempe, qui omnia dextera ſua creat, format, animat, alit, auget, retinet, & operibus ſupra vim, ordinemque naturae patratis, cuncta arbitrio ſe ſuo movere, ac permutare aperte oſten-

oſtendit . Deinde vetus Eccleſiae diſciplina , cui plane reſpondere oportebat antiquae hujuſce urnae affigurationem, & caelaturam , illud minime patiebatur , ut Diaconus , & Hypodiaconus dignitate quaſi pares , *cruce in utriuſque pectore obſignata* effingerentur , & ambo ſupra *ordinem Clericorum* ab artifice conlocarentur . Quamvis enim Hypodiaconi expreſſa mentio in ſacris tabulis reperiatur prope ab ipſis Eccleſiae primordiis, ut in epiſtolis Cypriani, & Cornelii PP. , in Synodis Illiberitana, & Laodicena ; nihilominus *Subdiaconatus* minoribus Ordinibus olim accenſebatur , nec niſi XI. , aut XII. ſaeculo in majores , ſacroſque fuit cooptatus ; ita ut ante id temporis Hypodiaconi extra Sanctuarium , & etiam a Chorepiſcopo ordinarentur , nec in Epiſcopos , & paſtores animarum eligi ſolerent [1] . Quamobrem Hypodiaconus in noſtro nymphaeo contra fas pari in loco , paribus ornamentis , Diacono ferme aequalis , & tamquam caeteris Clericis auctoritate , officioque multo praeſtantior eſſet exſculptus . Abſit autem , ut credam , caelatorem tam imperite feciſſe . Porro in SACRAMENTARIO Gregoriano Eccleſiae Auguſtodunenſis litteris Merovingicis ante mille, & amplius annos deſcripto , cujus jam memini [2] , Miniſtri ſacrorum aptiſſima hac ratione viſuntur depicti . Superius

1 Otio , ac litteris plane abutar , ſi multa hic conferam , ut probem , non ante XII. ſaeculum *Subdiaconatum* certa , & inviolabili lege fuiſſe inter *ſacros Ordines* recenſitum . Communi Theologorum ſermone uſurpantur illa Petri Cantoris , qui ſub id tempus floruit , verba ab Hugone Menardo in Sacramentario Gregorii Magni *pag.* 280. *Pariſiis* 1642. relata : *De novo inſtitutum eſt , Subdiaconatum eſſe ſacrum Ordinem*; itemque quae habet Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis *ſerm.* XXVII. ad Presbyteros in Synodo congregatos . (*Biblioth. PP. to.* XXIV.) Contrita haec omnia , ac ſcitiſſima , quippe quae late diſputantur non ſolum a Cl. Morino *De Sacris Eccleſiae Ordinationibus Part.* III. *Exercit.* XII. *Pariſiis* 1655. , Cardinali Joh. Bona *Rer. Liturgic. lib.* I. *cap.* XXV. , Juvenino *de Sacram. Diſſert.* IX. *quaeſt.* VI. *Lugduni* 1696. , Drouvenio *de Re Sacramentaria lib.* VIII. *Venetiis* 1737. , Sed etiam ab Inſtitutionum Theologicarum ſcriptoribus , qui omnium teruntur manibus . A quibus & illud eſt obſervatum, Urbanum II. PP. in Concilio Beneventano an. 1091. primum induiſiſſe , ut Subdiaconi *rariſſime* , *& opportunitate exigente* , *& non ſine Romani Pontificis* , *vel Metropolitani licentia* poſſent ad Epiſcopatum evehi . Haec quamvis certiſſima ſint , Haeretici tamen Patres Tridentinos per inſignem injuriam , quaſi hiſtoriae ſacrae ignaros exagitant , quod *Seſſ.* XXIII. *cap.* II. dixerint : *Subdiaconatum ad majores Ordines a Sanctis Patribus , & Conciliis referri* . Non enim ab omni aevo adſcitum affirmarunt , ſed duntaxat *relatum* dixere , nulla addita temporis nota . Relatum autem poſt memoratum tempus , ut nemo hominum inficiabitur .

2 *Pag.* 77. *in Not.*

perius ſunt *Ordines Majores*, ſcilicet *Epiſcopus* ſedens in throno plicatili cum ſuppedaneo, *Presbyter* in parva ſella, *Diaconus* ſtans cum dalmatica, & libro. Inferius ſunt *Ordines Minores*, & primo *Subdiaconus* cum colobio, non talari, ut Diaconus praefert, ſed vix infra genua defluente. Quis umquam aliam fuiſſe Piſaurenſium diſciplinam ſuſpicabitur? Quis dicat unquam, quadratarium rem a communi Eccleſiae conſuetudine abhorrentem fingere potuiſſe? Neque etiam intelligo, quorſum omnia Eccleſiaſticae Hierarchiae officia eſſent hic exprimenda; neque demum in tam impolita, rudi, inconcinna ſculptura ea indumenta hominibus data video, ut Paſſerio meo concedam, Diaconum, & Hypodiaconum hic demonſtrari [1].

Aliam proinde viam duco mihi eſſe ineundam ad probabiliorem totius iconiſmi explicationem eliciendam. Ego equidem nonnullas *Catechumenatus* caeremonias in hoc marmore repraeſentari autumo: quae quoniam in pronao Eccleſiae, & cum aquae conſecratae adſperſione perficiebantur, prudentiſſime, & conſulto in urna prae templi foribus, & in loco Catechumenorum poſita videntur fuiſſe inſculptae. Quoniamque unius, ita dixerim, actionis continuatio hic exhibetur, a parte poſtica, unde illa initium ſumit, exordiar. Exorcismvm Baptizandi in medio ſacri nymphaei proponi, non eſt ambigendum. Nam quid homo humi ſtratus, crinibus paſſis, & inuſitatis motibus ſe ſe contorquens, niſi Catechumenus, qui ante Baptiſmum a maligno Spiritu poſſeſſus, vexatuſque cenſetur? Quod Optati Milevitani verbis in lib. IV. contra Parmenianum hoc loco declarare non alienum puto ab inſtituto noſtro. *Neminem fugit, quod omnis homo, qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine SPIRITV IMMVNDO eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi, & ſeparari. Hoc EXORCISMVS operatur, per quem Spiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur*. Quid praeterea bini adſtantes homines elatis Cru-

T cibus,

1 De veſtibus ſacris agemus inferius.

cibus, totique in Catechumenum converſi, niſi Clerici daemonem ex illo pellentes? Facile id mihi dabunt, qui Coeleſtinum Papam ad Epiſcopos Galliae capite IX. ſententiarum [1] haec ſcripſiſſe meminerint. *Illud etiam, quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplatur intuitu, quum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam EXORCISMIS, & exſuſlationibus CLERICORVM Spiritus immundus ab eis abigatur*. Nec mireris Catechumenum prorſus nudum ab artifice fuiſſe delineatum; ſacri enim ſcriptores de veſtium detractione in exorciſmo tam multa perhibuerunt, ut nulla poſſit ſupereſſe perplexitas, anaglyphum noſtrum cum antiqua diſciplina hac in re mirifice conſentire. Cujus rei argumentum, exemplumque capi maxime poteſt ex libello adverſus Petrum Epiſcopum Apameenſem inſerto actioni v. Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna, ubi duo Stephani ita conqueruntur. *ἐν τῷ φωτιςηρίῳ ὄντες κατήχησιν τῶν νεοφωτίςων* (refingendum procul dubio *τῶν φωτιζομένων* [2]) *ἀπὸ ςιχαρίων, καὶ ἀνυποδήτων ὄντων ἐξορκιζόντων αὐτοὺς τῶν διακόνων ἐλθὼν ὁ γενόμενος ἡμῶν Ἐπίσκοπος Πέτρος*; *quum eſſemus in Baptiſterio ad inſtruendos illuminandos, qui ſine tunicis, & calceamentis erant, Diaconis* [3] *ipſos exorcizantibus, venit Epiſcopus noſter Petrus.*

Valent

1 Codicum optimae prorſus notae fidem, auctoritatemque ſequor, in quibus Coeleſtini Epiſtolae ad Epiſcopos Galliae libellus ſubjicitur, copulaturque hoc titulo, *Praeteritorum Sedis Apoſtolicae Epiſcoporum auctoritates*, quo X. ſolemnes ſententiae proponuntur. Binius Proſperi eſſe ſuſpicabatur: Sirmondus Coeleſtino fidenter abjudicat. At Labbeus quum animadverterit, Coeleſtino libellum tribui a Petro Diacono, a Floro Magiſtro, Hincmaro, Creſconio, Ivone &c. communi veterum tractatorum opinioni aliquid concedendum duxit, & cum Pontificia litteris alligavit. *Concil. tom.* II. Nobis in antiquorum ſententia manere perplacuit, quod neque evidenti ullo argumento Coeleſtino abjudicari putemus, ejuſque aetate libellum deſcriptum multis de cauſis credamus. Martenius de V. Rit. ubi de Baptiſmo, itemque Drouven de Re Sacramentaria Gennadii Maſſilienſis ea verba eſſe non dubitant in libro *de Eccleſiaſticis Dogmatibus cap.* XXXI. Sed protritum eſt, capitula hujus operis XXIII., & ſequentia aliena manu poſt Gennadii obitum inſerta fuiſſe, & ex epiſtola Coeleſtini, decretiſque Conciliorum Milevitani, Arauſicani. II. conſarcinata. Leoni Magno hae *Sententiae* aſſeruntur a Queſnellio *Diſſert.* III. *in Opp. S. L. tom.* II. *Pariſiis* 1675. Merito ne, alii videant.

2 Nondum certe baptizati, qui inſtruebantur, & exorcizabantur.

3 *Concil. tom.* v. Diaconi Apameae una cum Clericis exorcizabant.

Valent ad idem probandum quae Johannes Chryſoſtomus attigit in I. Catech. ad initiandos, quum ait illos tranſmitti *μετὰ τὴν διδασκαλίαν γυμνοὺς, καὶ ἀνυποδέτους μετὰ τοῦ χιτωνίσκου μόνου πρὸς τὰς τῶν ἐξορκιζόντων φωνάς*; *poſt inſtructionem veſte exutos, nudis pedibus cum una tunica ad audiendas exorcizantium voces* [1]. Nam etſi verecundiores eſſe velit *Illuminandos*, & interula modeſte operiri, caeteris tamen indumentis expoliatos ad exorciſmum acceſſiſſe fatetur.

Quae quum ita ſint, ad eamdem caeremoniam quis addubitet, revocari oportere binas imagines utrinque ſtantes? Actutum enim, ac veluti ſponte ſua ex dictis ſequitur, ut hominem in ſiniſtro loculo poſitum Clericum eſſe cogitemus, qui detractam Catechumeno veſtem cuſtodiendam ſuſcepit. Eum vero, qui dextrorſum ſtat, (ſi revera librum pectori applicatum ille geſtat, quemadmodum Paſſerio anaglyphum propius contuenti viſum eſt) non aliud referre affirmarim, niſi *Lectorem*, aut *Catechiſtam*, ſive ut Cyprianus ep. XXIV. dixit, *doctorem Audientium* rudibus illis alumnis inſtituendis deſtinatum. Quatuor autem hi religionum adminiſtratores *Cruce* obarmati merito apparent; in quo ſane artificis induſtria eſt commendanda. Nam quum Chriſtianis ſemper perſuaſum fuerit, quod ab Auguſtino diſertis verbis traditur, nihil eorum, quae ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, *rite perfici, niſi adhibeatur ſignum Crucis* [2]; quo pacto poterat ille perſpicue, vivideque ſub aſpectu ponere tot *Benedictiones*, quae ante Baptiſmum, aqua in modum Crucis adſperſa, ſive diabolo expellendo, ſive fidei januae reſerandae, ſive coeleſti gratiae apprecandae iterato fiebant, niſi miniſtrorum manus ita conformaſſet, ut hoc divino ſtemmate munitae omnia, quae agerent, cum invocatione Chriſti nominis ſanctificare viderentur?

Hic nymphaeum attentius obſervanti, noſtrumque legen-

1 *Opp. tom. II. edit.* Montfauconii. *Pariſiis* 1718.
2 *Tract.* CXVIII. *in Johan.*

legenti commentarium perfacile in mentem veniet ſciſcitari , quid ſit peculiaris illa veſtis conſtrictis , & criſpatis inferne manicis , qua alter Clericorum exorcizantium diſtincte prae altero induitur ? Candidam , lineamque veſtem , proprium Clericorum indumentum , cujus meminere Concilia Carthaginenſe IV. ann. XLI. , et Narbonenſe an. DLXXXIX. canone XII. , quae primum *ALBA* , deinde ſaeculo XI. *SVPERPELLICEVM* , tum ſaeculo XIII. *ROCHETTVM* coepit appellari , a lapicida ibidem repraeſentatam non vereor affirmare . Et quamvis caeremoniae perficiendae univerſa

Veſtibus in niveis adſtaret turba miniſtra ,

nihilominus prudens artifex unum prae reliquis Clericis hac veſte perſpicujus diſtinxit , quantum ego conjecto , ut EXORCISTAM , primaſque partes agentem aliquo indicio diſcerneret . Vituperant , novimus , ſacra haec ornamenta heterodoxi , furioſe illa averſantur , et in Ethnicae ſuperſtitionis crimen vocant eos Eccleſiae Patres , qui repudiata , inquiunt illi , Apoſtolicorum temporum ſimplicitate , rei divinae adminiſtratores decenti , propriaque veſte primum contexerunt ; quandoquidem Deae Syriae , Junonis , Cereriſque Flaminicas , et Jovis , aliorumque Deorum ſacrificulos legimus , quum litarent , vel ſupplicationes peragerent , albo velaſſe corpora lino . At licet id apud omnes ferme nationes , quaſi ex compacto , uſuvenerit , quaenam , quaeſo , culpa in mundicia eſt ? Quae veſtium nitore Superis irrogatur injuria ? Pulchre , ac diſerte Hieronymus in primo dialogo contra Pelagium inſulſam hanc refutavit , exploditque accuſationem . *Quae ſunt , rogo , inimicitiae contra Deum , ſi tunicam habeo mundiorem , ſi Epiſcopus , ſi Presbyter , & Diaconus , & RELIQVVS ORDO ECCLESIASTICVS IN ADMINISTRATIONE CVM CANDIDA VESTE proceſſerit* ? Qua vero mente id fiat , accipe ab Iſidoro Hiſpalenſi , cujus ſententia ſuperſtitionis ſuſpicionem amovet . *Albis induti aſſiſtunt , ut coeleſtem vitam habeant , candi-*

candidique ad hoſtias, immaculatique accedant, mundi ſcilicet corpore, & incorrupti pudore [1]. In quo non ſum ego neſcius, difficiliorem ſuboriri quaeſtionem, an mos revera a temporibus Apoſtolicis repeti queat. Walafridum Strabonem, Hugonem Victorinum, Honorium Auguſtodunenſem patronos, teſteſque acciere ſolent, qui negant. Negant vero etiam ex Orthodoxis nonnulli, Nicolaus Alemannus [2], Baluzius [3], Vicecomes [4], Sirmondus [5], Ferrarius [6], Jacobus Boileaus [7], Bocquillotus [8], Peletterius [9], quibus perſuaſum fuit, prima Eccleſiae aetate Presbyteros, caeteroſque adminiſtros omnem rem ſacram cum communi, uſitatoque indumento perfeciſſe. Sed hi longe, meo quidem judicio, a Concilii Tridentini mente abeunt, a quo *Seſſ.* XXII. veſtes ſacrae *ex Apoſtolica diſciplina, & traditione* invectae dicuntur. Conſultius proinde tot illuſtrium, eruditorumque hominum amplexamur ſententiam, qui nihil dubitant, Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, licet inopia laborarent, Ethnicorumque inſidiis, et malevolentia undique premerentur, peculiari quodam habitu, eo ſaltem, qui tum temporis eſſet mundior, et honeſtior, inter ſacrificandum eſſe uſos. Memoratiſque ſcriptoribus oppono Paſqualigum in eximio opere *de Sacrificio novae legis* [10], Sauſſayum [11], Joh. Card. Bona, ejuſque enarratorem Robertum Sala [12], Schelſtratium [13], Honoratum a s. Maria [14], Georgium [15], ac tandem memoriae nunquam interiturae Pontificem BENEDICTVM XIV. [16]

Hos

1 *De Eccleſ. Offic. lib.* II. *cap.* VIII.

2 *De Parietin. Lateran. cap.* IX.

3 *Ad Concilia Narbon. pag.* 26. *Pariſiis* 1668.

4 *De Apparat. Miſſae. Mediolani* 1626.

5 *Ad Epiſt. Coeleſtini tom.* II. *Concilior.*

6 *De re Veſtiaria cap.* XVIII. *Patavii* 1654.

7 *De re veſtiaria hominis ſacri. Luteciae* 1686.

8 *Traité hiſtorique de la Liturgie liv.* I. *chap.* VII. *à Pariſ* 1701.

9 *Differtat. Memoires de Trevoux, Septembre* 1705.

10 *Tom.* II. *de Orn. Sacerdot. Lugduni* 1672.

11 *Panoplia Sacerdotal. part.* I. *lib.* VI. *Luteciae* 1653.

12 *Rer. Liturgic. lib.* I. *cap.* V. §. II. *Auguſtae Taurin.* 1747.

13 *De Eccleſia Africana Differt.* II. *Pariſiis* 1679.

14 *Animadverſiones in Reg. Critices t.* II. *lib.* IV. *Differt.* VI. *Venetiis* 1738.

15 *De Liturgia Roman. Pontif. tom.* I. *lib.* I. *cap.* III. *lib.* II. *cap.* V. *Romae* 1731.

16 Opp. édit. Rom. tom. XI. Inſtruct. XXI.

Hos qui ſolo veritatis inveniendae ſtudio adjerit, illud levi negotio in animum inducet ſibi, *ſilentium Scriptorum* perperam hac in re nobis objectari, nec deeſſe monimenta, quibus probetur, inſignia Sacerdotalia longe ante Conſtantini pacem in Eccleſia merito obtinuiſſe, pietatemque Fidelium, qui opes ſuas in Miniſtrorum utilitatem large conferebant, veſtes etiam ad Liturgiam obeundam veroſimiliter comparaſſe.

Nec quiſpiam me commoveri credat auctoritate, et nomine Haeretici ſcriptoris, qui noſtris hiſce temporibus tam avide legitur, tantoque in pretio omnibus eſt, et pene in coelum tollitur. Jo. Gottlieb Heineccium hic appello, qui quum undeviginti eſſet annorum ad captandam ſuae factionis gratiam *Commentationem hiſtoricam de habitu, & inſignibus Sacerdotalibus Apoſtolorum* Lipſiae edidit, in qua conraſis ex Luthero, Calvino, Magdeburgenſibus, Hoſpiniano, Dallaeo, Buddeoque inficetis ſcommatis, leviſſimis, ac centies difflatis criminationibus, ſacrarum veſtium antiquitatem convellere, uſumque, tamquam ridiculum, traducere adniſus eſt. Habeant in deliciis hunce hominem legum periti, eumque Juriſconſultiſſimum nominent, per me licet: ego equidem pſeudo=Theologum, ſophiſtam, impoſtorem fidentiſſime voco, quoties puerilem, exſuccam, ἄχρηστον commentatiunculam illius relego. Nam ne dicam, multa illum callide diſſimulare, multa nec ſecum conſentanea contexere, quae vitio ſuo cadunt, multa falſa, confictaque coacervare, quae pravum hominis ingenium manifeſtant; vide mirificam ejuſdem impudentiam, et vel inſignem ad ſuos fallendos protervium, vel incredibilem noſtrarum rerum inſcientiam! Ait quippe §. 11I. *Canoniſtae enim, & Scholaſtici, quorum doctrinae his in rebus omnes* (Pontificii) *aſſurgunt, habitum Sacerdotalem non pro caeremonia libera venditant, nec ob ſolam εὐταξίαν inventum volunt, ſed ſacrum, & myſteriorum pleniſſimum eſſe, ad ipſamque SACRAMENTORVM FSSENTIAM pertinere, & ſic ab illis inſeparabilem eſſe contendunt. Id, quod facile patet ex reliquis eorum doctri-*

doctrinis, quibus hoc πρῶτον ψεῦδος ubique produnt. Quae autem ſunt ejuſmodi deteſtandae Canoniſtarum, et Scholaſticorum doctrinae, ſi Heineccium audieris? Nempe, quod dixerint, numquam licere CORPVS CHRISTI conficere abſque ſacro indumento, etiamſi homini moribundo foret praebendum. Quonam, Deus bone, ſublimis illa Juriſconſulti mens avolarat, dum iſthaec ſcriberet! Vtique ſacrarum veſtium uſus caeremonia *non libera* eſt, neque libera poteſt eſſe. An tu Eccleſiae, cui haec poteſtas divinitus data eſt, ut Miniſtros eligat, deputet, conſecretque, qui ſuo, et Chriſti nomine offerant, alteram negabis decernendi, conſtituendique adjuncta, quibus rebus ſacris majeſtas augeatur, religio, cultus, pietas amplificetur? Decrevit autem illa, ſanxitque jure optimo, ut qui in hac hominum ſocietate viſibile ſacrificium offert, aſpectabilia praeſeferat collati ſibi juris indicia, quibus legitimus Chriſtianae Reipublicae miniſter appareat. Sed quaenam, rogo te, in communi, vulgarique veſtitu Sacerdotalis auctoritatis indicia translucent? Illud etiam tibi concedam, nullam neceſſitatem, cauſſamque tantam reperiri poſſe, ut Corpus Chriſti, ſine miniſterii, poteſtatiſque inſigni conficiatur, quia nulla eſt, quae exigat, ſacra irreverenter, indecore, profane tractari. Mortifere ergo delinquit, quiſquis latam ab Eccleſia legem violat, et ſine apta ſupellectili, apparatuque praeſcripto Deo ſacrificat; ſi tamen violarit, quis inficiabitur, *validam* eſſe auguſtiſſimi corporis conſecrationem? Aut igitur prima Chriſtianae doctrinae rudimenta ignoras, aut Catholicis invidiam conflare niteris, dum ſcribis, Pontificios in ea eſſe ſententia, ut contendant, veſtes ſacras *ad eſſentiam Sacramentorum pertinere*: tuumque illud *πρῶτον ψεῦδος*, quod in nos temere jacis, tibi rectiſſime exprobrabimus. Interim firmum, fixumque illud manebit, albam veſtem Exorciſtae non recenti inſtituto, ſed pro veteri more noſtro in anaglypho eſſe tributam.

Modo ad anticam conchae faciem revertamur, quae actionis exitum, quaſique Catechumenatus abſolutionem pro-

prodit. Quos igitur Paſſerius Diaconum, et Hypodiaconum dixit, ego potius binos COMPETENTES eſſe conjecto: quorum manibus poſt exorciſmos Crux, tamquam devicti hoſtis inſigne tropaeum [1], ideo impoſita eſt, ut exinde pateat, jam in Chriſti ditionem illos feliciter conceſſiſſe. Quapropter Auguſtinus ſic illis gratulabatur: *nondum adhuc per ſacrum Baptiſma renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in utero ſanctae matris Eccleſiae conceptis eſtis* [2]. Quod alteri ex duobus competentibus brevior Crux, alteri longior, et haſtata tributa ſit, libero quodam artificis invento, non meditato conſilio accidiſſe exiſtimo. Pariter, quod unus tantummodo Catechumenus, bini vero *Initiati*, et *Electi* conſpiciantur, in gratiam architecturae, et numeri columnarum, atque arcuum, quibus urna perornatur, factum non ambigo. Denique ut magis hanc meam tuear explicationem, facit Crux in pectore utriuſque hominis conſignata. Nam ne diutius in hoc immorari, verſarique videar, veteres libros caeremoniales adire ſufficiet, ex quibus condiſcimus, varias corporis partes ante Baptiſmum ſignaculo Redemptionis inſigniri conſueviſſe, praeſertim pectus, ut cordis latebris alte defixa, ac concluſa *Fides* aeternum vigeret. Hinc formula illa *Sacramentarii* Gregorii M. a Baptizante recitanda: *Signum ſanctae Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti IN PECTUS tuum pono* [3]. Quandoquidem vero priſcis temporibus ea ſemper in majoribus noſtris enituit diligentia, & cura, ut ſingulas ſacrarum aedium partes imaginibus unicuique apprime convenientibus decorarent, ſane nymphaeum in templi veſtibulo conlocandum eae decebant exornationes, & emblemata, quae loco reſponderent, et aquae luſtralis uſum, virtutemque manifeſtarent. Quod ſi hoc noſtrum interpretandi genus *ἐπιδεικτικὸν* ubique non eſt, ſi quae attu-

1 Rufinus Aquilejenſis Presbyter in *Expoſitione Symboli* ſapienter dixit: *Crux iſta triumphus erat: triumphi enim inſigne eſt trophaeum; trophaeum autem devicti hoſtis indicium.* Cum Cyprian. Pamelii. *Antuer.* 1568.

2 *Libro de Symb. ad Catechum cap.* 1.

3 *Opp. tom.* 11. *Ordo Bapt.* Similis formula reperitur in aliis antiquis *Ritualibus* apud Martenium *lib.* 1. in Ordine ad baptizandum puerum, quem vulgavit Comes Fridericus Althanus ad calcem Diſſert. *de Baptiſmali Hieroglyphico*, Venetiis 1753., aliiſque id genus libris. V. Pamelii Liturgicon, Menardum &c.

attulimus, tantam perſpicuitatem, ac evidentiam non efficiunt, quantam fortaſſe optaremus, attamen, ut nos noſtrae ſcriptionis non omnino poeniteat, hortatur Tullius, a quo illud accepimus: *veriſimilia partim ſingula movent ſuo pondere, partim, etiamſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, quum ſunt coarcervata, proficiunt* [1].

Accedendum poſtremo eſt ad caetera circumpoſita ſymbola, & quid illa ſignificent, pervidendum. Fuerat quondam Chriſtianis uſitatum, ac tralatitium, ut quae lectione, vel auditu didicerant, emblematis deinde adumbrata ſibi ante oculos ponerent, ut ex harum figurarum conſpectu myſteria, reſque a Chriſto geſtas in memoriam continenter revocarent, gratias ſummo Deo, quod vera religione eſſent imbuti, referrent, ad divinarum rerum, virtutumque amorem, ad Chriſtianum nomen tuendum, propagandumque perpetuo incenderentur. Atque id genus ſymbola ex ſacris hiſtoriis, ac litteris communiter depromebant; quemadmodum infinita pene monumenta ab Arringhio, Ciampinio, Boldetto, Mamachio collecta palam oſtendunt. Hanc ipſam diſciplinam nymphaeum Piſaurenſe commonſtrat. Quid in dextera, & extrema anticae partis cellula Agnus ante Crucem, & in aſſultantem ſerpentem converſus? Ductum id eſt ex illo Apocalypſeos XVII. *οὗτοι μετὰ τοῦ ἀρνίου πολεμήσουσι, καὶ τὸ ἀρνίον νικήσει αὐτούς*; *hi* (tyranni, impiique homines) *cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos*. Siniſtrum in eadem facie loculum occupant aries & lepus, quorum alter fortitudinis, timoris alter ſymbolum eſt, ut erudiatur Chriſtianus homo, ſibi aliquando obluctandum, obnitendumque, ſaepe etiam provide fugiendum. Ex eodem Johannis viſionum libro, in quo naſcentis Eccleſiae viciſſitudines, & verus, juſtuſque Agni triumphus deſcribuntur, petenda interpretatio emblematis, quo dexterum nymphaei latus ornatur. An non contortus draco, loro ad collum ligatus, ſibique caudam rabioſe depaſcens, eſt ille antiquus ſer-

V

1 *Partit. Orator.* xi.

ſerpens, & ſatanas, quem Angelus Dei ἔχων τὴν κλεῖν τῆς ἀβύσσου, καὶ ἅλυσιν μεγάλην ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐκράτησε, καὶ ἔδησεν αὐτὸν; *habens clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, apprehendit, & ligavit illum?* (*Apoc.* xx.) Occurrunt tandem in laevo latere capreae ſylveſtres, vel potius Cervi, ut quanto illi deſiderio fontes aquarum exquirunt, appetunt, inhiant, tanto Catechumeni, aeque ac Chriſtiani, ad Deum, fontem vivum, concitato greſſu, ardentique amore ſe ferant [1]. Porro ad ſaluberrimos, copioſoſque fluvios, qui e Cruce Chriſti manare finguntur in muſivo Lateranenſi, aliiſque vetuſtis imaginibus apud Caſalium [2], Cervi (τῶν φωτιζομένων figurae) accedunt avidiſſime, ut aquam bibant de fontibus Salvatoris. Si quis vero Leonem, qui deſuper in tympano hujus aediculae cum Gripho congreditur, celeberrimum illum *de Tribu Juda* eſſe dixerit, qui beſtias robore, ac feritate inſignes toties devicit, id ego libentiſſime concedam. Nihil etiam impedio, quo minus *Acroſtolia*, maritimarum urbium inſignia, quae opus complent, Piſauri conditionem, ſitumque indicare credantur. Sed ut ad eum, quem in antecedenti doctrina, diſputationeque mihi maxime deſtinaveram, terminum omnia reducam, univerſa haec emblemata in labro aquae luſtralis aptiſſime fuiſſe ſculpta, non gravate conſentiet, quiſquis haec tria animo reputabit. I. Aquam ad venenoſi ſerpentis dolos propulſandos, ad exorciſmos, ad coeleſte aliquod praeſidium adipiſcendum conſecrari. II. Dei amore, ac deſiderio benefactorum illius recordatione, religionis obſequio, cultuque flagrare oportere non Catechumenos modo, ſed quotquot Eccleſiam Dei, domum orationis, & majeſtatis illius ingrediuntur. III. Ad Baptiſmi caeremonias, aliaſque luſtrationes, quibus concha inſerviebat, poſſe id totum commodiſſime revocari, teſte Hieronymo, cujus verba coronidis loco exſcribimns. *Mos eſt Cervo, ut inventum ſerpentem*

1 *Pſalm.* xli.   2 *De Veter. Chriſtianor. Rit. cap.* 1. *Francof. & Hannoverae* 1681.

tem naribus hauriat, & poſt haec exardeſcens extinguat ſitim. Ergo homo Eccleſiae, qui diu in actu veneroſo degebat, ubi ſe perſpicit coeno fornicationis, & Idololatriae faetore repletum, deſiderat venire ad Chriſtum, in quo eſt fons luminis; ut ablutus Baptiſmo accipiat donum remiſſionis: ſed & ſi quis hodie noſtrum, extinctis vitiis, igneſcat in deſiderium Dominicae contemplationis poteſt & ipſe dicere (aquam ut Cervus attingens) *quia deſiderat anima mea ad te Deus*[1].

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De Fontibus, puteis, phialis marmoreis apud Graecos in templorum propylaeo ad luſtrationem poſitis ſermo inſtituitur. Duplex Eccleſiae Graecanicae ἁγιασμὸς. Aquae in Theophaniis conſecratae uſus, prodigiaque a Chryſoſtomo narrata. Vice Dominici corporis aqua benedicta aliquando data ex Joh. Jejunatoris Poenitentiali. Menſtrua aquae benedictio penes eoſdem Graecos. Qui illam in foribus templi ſervabant. Vrnae litteratae ex Graecia advectae, nondumque antehac aeditae ſchema proponitur. De pelvi Byzantina, & Meſſanenſi huic uſui quondam addictis. Catinus Monaſterii τῶν πατέρων, ejuſdemque inſcriptio. De antiquo Cratere Syracuſano popularis opinio rejecta.

LATINAE, Graecaeque Eccleſiae conſenſus, quo ſine ulla controverſia evincitur, ipſiſſimam Fidem continenter utramque retinuiſſe, cum in multis manifeſte, ſplendideque appareat, tum in aquae luſtralis conſecratione, uſuque praeclare ſe prodit. Tantumque abeſt, ut ea caeremoniarum, & precationum varietas, quae inter Occidentales, & Orientales Orthodoxos hic etiam occurrit, Fidei unitatem laedat, aut proſcindat, ut illa potius, quaſi multiplici, elegantique veſtimento Chriſti ſponſa pulcherrime decoretur. Latinorum ergo conſuetudine ubertim explicata, quae Graecorum natio defert expendenda docu-

1 *In Pſalm. XLI. opp. tom. II.*

Digitized by Google

menta, nunc inſpiciamus. Commendatur ab Euſebio eximii Tyriorum Epiſcopi Paullini diligentia in adorando templo a ſe exſtructo, & omnium, quae in Phoenice erant, longe pulcherrimo, eo vel nomine, quod in illius impluvio ſymbola, & vaſa *τῶν ἱερῶν καθαρσίων*, *ſacrarum expiationum*, conſtituit, ne homines ſanctuarium adirent, intrarentque illoti: quod hiſce verbis explicat. *ἐνταῦτα ἱερῶν καθαρσίων ἐτίθει σύμβολα, κρήνας ἄντικρυς εἰς πρόσωπον ἐπισκευάζων τοῦ νεὼ πολλῷ τῷ χεύματι τοῦ νάματος, τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ ἔσω, προϊοῦσι τὴν ἀπόῤῥυψιν παρεχομένας*. *Heic ſacrarum expiationum ſigna poſuit; nymphaea ſcilicet ex adverſo Eccleſiae ſtructas, quae interius ſanctuarium ingreſſuris irriguae aquae decurſu copiam facerent ad ſe ipſos eleuendos*[1]. Artefacti hujuſmodi luſtrales fontes, ut a Latinis, ſic & a Graecis variis appellabantur nominibus. Baſilius Seleuciae Epiſcopus fontem illum mirificum, qui fuerat in baſilica S. Theclae Iconienſis, nunc *λουτρὸν*, nunc *κολυμβήτρα* vocat[2]. Aliquando *τὰ φρέατα*, *putei* laxiori quadam appellatione, a ſcriptoribus ſacris nuncupantur. Ita plane Euſebius ipſe miraculum deſcribens Narciſſi Epiſcopi Hieroſolymitani, qui oleo deficiente, *ὕδωρ ἀνιμήσαντας ἔκ τινος παρακειμένου φρέατος*, *aquam ſumptam ex proximo puteo* in lucernas injecit, quae ſubito exarſit[3]. Socrates narrans feralem caedem Homouſianorum in templo Acacii Martyris a Macedonianis indigniſſime editam, puteum memorat, qui erat *ἐν τῇ αὐλῇ τῆς ἐκκλησίας*[4]. Pariter Nicetas David, cognomento Paphlago, tradit, Ignatium Patriarcham ex iniquo exilio revocatum in magna Eccleſia fuiſſe exceptum ab Imperatore Baſilio *διὰ τοῦ ἁγίου φρέατος*[5]. At Paullus Silentiarius in deſcriptione aedis S. Sophiae fontem in propylaeo a Juſtiniano poſitum, cujus aqua plebs ingreſſura emundabatur, *φιάλην* dixit, mirumque operis artificium hoc tetraſticho complexus eſt.

Μη-

1 *H. E. lib. x. cap. iv.*
2 *De Vit. & Mir. s. Theclae lib. ii. Antuerpiae 1608.*
3 *H. E. lib. vi. cap. ix.*
4 *H. E. lib. ii. cap. xxxviii.*
5 *Labbei Concil. Tom. viii.*

Μηκεδανῆς δ' ἐρίτιμον ἐς ὄμφαλον ἵςαται αὐλῆς
Ἐυρυτάτη φιάλη τις ἰάσπιδος ἔκτομος ἀκρῆς,
Ἔνθα ῥόος κελάδων ἀναπάλλεται ἠέρι πέμπειν
Ὁλκὸν ὅλον παθέων ἐλατήριον &c.

In eximio longi atrii umbilico
Ampla phiala eſt exciſa ex eleganti jaſpide,
Vbi immurmurans fons aquas geſtit in aerem emittere,
Vi quadam fiſtulae aereae reſilientem &c.[1]

Neque hoc peramplo, elegantique fonte contentus Imperator populi commodo magnificentius conſuluit. Is enim, Anonymo rerum Byzantinarum ſcriptore teſtante[2], *ἐποίησε δὲ εἰς τὴν φιάλην γυρόθεν ςοὰς φρεατικὰς δώδεκα, ϗ λέοντας λιθίνους ἐρεύγεσθαι ὕδωρ εἰς ἀπόνιψιν τῶ κοινῶ λαῶ; fecit autem circa phialam porticus* XII.*, in quibus erant fontes, leoneſque aquam eructantes, e quibus populus lavaretur*. Eodem certe ſpectavit Baſilius Macedo, quum binas hujuſcemodi phialas ex Aegyptio, Romano, Sangarioque marmore exſtructas in atrio novae Eccleſiae dedicavit[3]. Vt autem certius, ac liquidius conſtet, id genus fontes, puteos, phialas, nymphaea, lavacra a Niceta, & Codino[4] *τὰ ἅγια*, *ſancta* jure nuncupari, ſimiliterque peractas ea aqua luſtrationes *τὰ ἱερὰ καθαρσία*, *ſacras expiationes* ab Euſebio meritiſſime dici, revocanda hoc loco in mentem ſunt, quae ex Graecis Patribus primo noſtri hujus operis capite attulimus, tum adducta cap. XIII. Cyrilli Hieroſolymitani verba; quibus evidentiſſime conficitur, externam lavationem tum ſui origine, antiquitate, jugique obſervantia, cum fine, ſcopo, & effectu ipſius, tamquam reli-

1 Cum Cinnami opere de rebus Comnenorum, *Pariſiis* 1670.

2 Apud Dufreſnium *CPolis Chriſtiana* lib. III. *Pariſiis* 1680.

3 V. Ipſius vitam a Conſtantino Porphyrogenneta deſcriptam *cap.* LV. inter Allatii *Symmicta*. *Colon. Agrip.* 1653.

4 Hic in ſuis *Antiquitatibus Conſtantinopol.* celebrat τὸ ἅγιον φρέαρ τοῦ ἁγίου Πέτρου, *ſanctum puteum Sancti Petri*. (*Pariſiis* 1655.

religioſam, ſacram, inviolandamque caeremoniam a Chriſtianis, ſemper fuiſſe retentam. Sed duplex alia fuit *ἱερὰ κάθαρσις* apud Graecos, quae aqua, non ea quidem naturali, & ex fonticulis, phialiſque profiliente, ſed certo, & publico ritu conſecrata perficiebatur. Atque de his acturus fieri minime poſſe video, ut rem enucleate, dilucideque expediam, niſi de duplici Graecorum *ἁγιασμῷ*, ſive *Aquae Benedictione* aliquanto fuerim praefatus: qua cognita, & intellecta, caetera fient apertiſſima.

Inveterata, perpetua, ſanctaque apud illos conſuetudo fuit, ut aqua Baptizandorum ingenti caeremoniarum apparatu, invocato Dei nomine [1], *Crucis immerſione* [2] conſecraretur. Atque id quidem, ut Baſilius Caeſareae rectiſſime dixit, *ἀπὸ τῆς σιωπωμένης, καὶ μυστικῆς παραδόσεως*, *ex tacita, ſecretaque traditione* [3] ab Apoſtolis ipſis ducta. Peragebatur ea *Benedictio* in pervigilio Sanctae Theophaniae, primo quidem *μεσονυκτίῳ media nocte* [4], ſublata deinde pernoctatione, Petrus Fullo Archiepiſcopus Antiochenus, referente Theodoro Lectore, inſtituit, *τὴν ὑδάτων ἐν τοῖς θεοφανίοις ἐπίκλησιν ἐν τῇ ἑσπέρᾳ γίνεσθαι* *invocationem ſuper aquas in Theophaniis veſpere* (pervigilii) *fieri* [5]. Mos tandem invaluit, ut aqua conſecraretur ipſa VI. Januarii die poſt expletam Liturgiam; quemadmodum noſtris adhuc temporibus uſuvenire in Eccleſia Graecanica, tradunt Chriſtophorus Angelus in *Enchiridio de ſtatu hodiernorum Graecorum* [6], *&c.* Thomas Smithus *de ſtatu hodierno Eccleſiae Graecae* [7]. Tanta vero huic aquae virtus, & effi-

1 Cyrilius Hieroſol. *Catech.* III.

2 Ritum explicavimus uberrime in noſtris *Antiquit. Chriſtianis Diſſert.* II. *cap.* VI.

3 *De Spiritu Sancto c.* XXVII. edit. Maur. *Pariſiis* 1730.

4 Chryſoſtomus in *Homil. de Baptiſmo Chriſti*.

5 *Excerpt. Hiſtor. Eccleſ. lib.* II. cum Theodorito.

6 *Cap.* XV. *Lipſiae* 1668.

7 *Londini* 1678. Non ignota profecto, inuſitataque Latinis aquae conſecratio in die Epiphaniae. Digniſſimum conſideratu eſt, quod Victor Vitenſis de *Perſecutione Vandalica lib.* II. *Pariſiis* 1694. Carthagine accidiſſe narrat. *Fuit in ea civitate quidam caecus, civitati notiſſimus, nomine Felix. Hic viſitatur a Domino, diciturque ei nocte per viſum (dies enim Epiphaniorum luceſcebat); ſurge, vade ad ſervum meum Eugenium Epiſcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi; & illa hora, qua benedi-*

efficientia ineſſe credebatur, ut ad eam hauriendam nemo non avidiſſime accurreret, nemo non in ſuos lares referret veneficiis, noxiis animalibus, morbis depellendis, agris, vinetis, hortiſque luſtrandis. Miro ſane prodigio Deus optimus maximus, gratiſſimam ſibi hanc religionem eſſe interdum teſtabatur. *τὸ σημεῖον γίνεται ἐναργὲς* (inquit Chryſoſtomus) *ȣ̓ διαφθειρομένης τῆς τῶν ὑδάτων ἐκείνων φύσεως τῷ τȣ̃ χρόνȣ μήκει, ἀλλ' εἰς ἐνιαυτὸν ὁλοκλήρον, καὶ δύο καὶ τρία πολλάκις ἔτη τȣ̃ σήμερον ἀντληθέντος ὕδατος ἀκεραίȣ καὶ νεαρȣ̃ μένοντος, καὶ μετὰ τοσȣ̃τον χρόνον τοῖς ἄρτι τῶν πηγῶν ἐξαρπασθεῖσιν ὕδατι ἁμιλλωμένȣ. Manifeſtum etiam ſit hujus rei, & efficax ſignum dum temporis diuturnitate iſtarum aquarum natura non corrumpitur; ſed ad annum integrum, imo ad duos, vel etiam tres annos aqua hodie hauſta, incorrupta, & recens manet, & poſt tam longum tempus altera, recens ex fontibus hauſta, aqua non eſt deterior* [1]. Quin etiam ejus potione aliquid certe auxilii conferri putabatur; ideoque Poenitentibus, aliiſque Communione privatis vice Dominici Corporis bibenda praebebatur. Sic plane cautum a Johanne Jejunatore in *Canonario*. *ἀντὶ κοινωνίας ὀφείλειν ἁγίασμα πίνειν τῶν ἁγίων Θεοφανείων. Communionis loco aquam conſecratam in ſanctis Theophaniis debent bibere* [2]. In quo graviſſimum errorem illorum dolet, meritoque redarguit Allatius, qui hujus aquae hauſtu poſſe ſe praecepto in Paſchate *communicandi* ſatisfacere arbitrabantur [3]. Ne autem, dum ad aquam hauriendam populus turmatim confluebat, indecenter effunderetur, *θαλασσίδιον*, ſive locus ſub altari excavatus ad eam ſervandam, colligendamque excogitatus. Haec *caeremonia μέγας ἁγιασμὸς*,

mediet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem; continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen. Linivit Epiſcopus caeci oculos, & *ſtatim viſum, Domino reddente, recepit*. Factitatur adhuc noſtra aetate in aliquibus Latinorum Eccleſiis, ut Romae quotannis in templo Confratriae Stigmatum s. Franciſci, & alibi. V. Benedictum XIV. *de Canonizat.* 33. l. IV. *partei* I, *cap.* XIX. *n.* 22., & Rodotà *Dell'Origine, progreſſo, e ſtato preſente del Rito Greco in Italia tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* X. *Roma* 1758.

1 *Loc. mox cit.*

2 Ad Calcem *Commentar. de Poenitentia* Joh. Morini *Pariſiis* 1651.

3 *De Eccleſ. Orient., & Occidentalis perpetua Conſenſione &c. lib.* III. *cap.* XV. *Coloniae* 1648.

μὸς, ſive *major Benedictio* nuncupabatur; deque ea non modo Menaea Graecanica, Typicon S. Sabae, Anthologion, & Euchologion ſuis locis agunt, ſed ad uberiorem ritus intelligentiam plura adnotarunt Petrus Corcyraeus [1], Matthaeus Blaſtaris [2], Gretſerus [3], doctuſque plurimum vir, dumque viveret, noſtri amantiſſimus Sebaſtianus Paulius [4].

Verum quum tantis, piiſque adſperſionibus aqua in Theophaniis exorcizata minime ſufficeret, Eccleſia provida, ſapienſque mater indulſit, ut ſingulis menſibus, vel quacumque alia urgente neceſſitate conſecretur. Exinde vero *minor Benedictio* μικρὸς ἁγιασμὸς invectus. Quae in eo agenda, dicendaque ſint, Euchologium ipſum docet *tit.* Ἀκολυθία τοῦ μικροῦ ἁγιασμοῦ [5]. Adſtipulatorem habeo rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimum Balſamonem, qui in can. LXV. concilii Trullani ſcriptum reliquit ad hunc modum. Ταῦτα τοῦ κανόνος διαγοϱευομένου, ἡ μὲν τῆς νεομηνίας ἑορτὴ προαμνημονεύτων χρόνων ἐσχόλασε. καὶ ἀντὶ ταύτης Θεοῦ χάριτι, ἱλαστήριοι δὲ καὶ πρὸς Θεὸν, καὶ ἁγιασμοὶ ἐπ' ἐκκλησίας παρὰ τοῦ πιστοῦ λαοῦ γίνονται καθ' ἑκάστην ἀρχιμηνίαν, καὶ ὕδασιν εὐλογίας οὐκ ἀντιλογίας χειόμεθα. *Haec ſtatuente canone, Novilunii quidem feſtum* (ſuperſtitioſum) *ante annos omnem memoriam ſuperantes ceſſavit; ejus loco, Dei gratia, ad placandum Deum preces, ac ſanctificationes in Eccleſia a populo fideli fiunt, & in uniuſcujuſque menſis principio, AQUA BENEDICTIONIS, non contradictionis inungimur* [7]. Poſtquam populi bono, ac fauſtitati ita conſultum fuerat, de loco, ubi aqua commode haurienda proſtaret, erat conſequenter providendum. Ac nihil fuit cogitatu proclivius, quam crateres marmoreos in foribus templorum apponere, ex quibus liceret uni-

1 Smithus *ubi ſupra*.

2 *De Concord. Eccleſ. Orient. & Occid. in Sacramentor. adminiſtr. lib.* III. *c.* XXIII.

3 *Syntagma rerum, quae in Canonib. comprehenduntur &c. Litt.* Θ. edit. Beveregii. ΣΥΝΟΔΙΚΟΝ *tom.* II. *part.* II. *Oxonii* 1672.

4 *De Benedictionibus lib.* II. *cap.* VIII. *Ingolſtadii* 1615.

5 *De Ritu Eccleſiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania. Neapoli* 1719.

6 *Pag.* 441.

7 *Canones SS. Apoſtol. & Concil. Lutetiae* 1620. Gretſerus in cap. VIII. Codini Curopolatae *de Offic. Aulae Conſtantinop. pag.* 235. *Pariſiis* 1625. *Primo die cujuſque menſis aqua benedicebatur, & ex benedicta homines aſpergebantur in Palatio &c.*

unicuique facile, libereque in proprios uſus aſſumere. His porro vaſis Graeca natio non tam ornamenta in more habuit inſculpere, quam titulos, & epigrammata, quibus vel legenti palam fieret, a quo illa fuerint Eccleſiae oblata, a quo fabrefacta, vel haurientes aquam de recto illius uſu, ac praeſtantia admonerentur. Quod ne me temere aſſeverare quis arbitretur, juverit ſacra aliquot ejuſmodi donaria in aſpectum, lucemque proferre. Exordior autem ab aeſtimabili urna ex Pario marmore, a Venetis, quum in Graecia victricibus armis feliciter dominarentur, in patrias terras aſportata. Exſtat per hos dies in interiori ſacello Parthenonis SS. Marci, & Andreae (ubi priſcis temporibus Andreae nomini dicata aedes [1]) in inſula Muriani. Permiſſu optimi Epiſcopi piarum Virginum aſceterium ingreſſus pernecеſſarius meus, & non minus ſingulari comitate ſua, quam ſapientia mihi carus Anſelmus Coſtadonius, ut novo me cumularet beneficio eam adamuſſim delineavit. Habes tabula IV. a calchographo ſumma fide redditam cum epigraphe ex verbis ESAIAE CAP. XII. v. 3. & PSALMI XXVIII. v. 3. deducta.

✝ ΑΝΤΑΗΣΑΤΑΙ [2] ΥΔΩΡ ΜΕΤΑ ΕΥΦΡΟΣΥΝΗΣ
ΟΤΙ ΦΩΝΗ ΚΥ [3] ΕΠΙ ΤΩΝ ΥΔΑΤΩΝ.

Haurite aquam cum gaudio,
Quia vox Domini ſuper aquas.

Aptiſſimo hoc duarum ſententiarum nexu illud accedenti cogitandum proponebatur, qua alacri ſpe, quo pietatis ſenſu aqua eſſet haurienda, cui divini nominis invocatione tanta fuerat indita virtus, unaque illud cogitandum veniret, quanta ſit Dei poteſtas, ad cujus vocem *τὸ λιτὸν ὕδωρ ἁγιότητα ἐπικτᾶται*, *ſimplex aqua ſanctitatem acquirit* [4]. Extrican-

1 Conſule eximium opus ampliſſimi Senatoris Flaminii Cornelii, *Eccleſiae Torcellanae antiquis monumentis illuſtratae*. Part. I. *de Monaſterio SS. Marci, & Andreae*. *Venetiis* 1739.

2 ΑΝΤΑΗΣΑΤΑΙ pro ἀντλήσατε.

3 ΚΥ. *nota compendiaria vocis* Κυρίου.

4 Cyrillus Catechei III.

candae modo ſunt notae compendiariae inferius inciſae. Duas litteras Δ, & ω quis addubitet ad Chriſtum referri oportere, cujus meritorum commemoratione omnis obſecratio, omniſque *benedictio* ex antiquiſſimo Eccleſiae univerſae inſtituto terminatur, quo *omnium Mediatorem* a nobis agnoſci profitemur[1]? Caeteras ſiglas σαυροειδῶς ſcriptas, in quibus nodus paullo difficilior, ſic percommode mihi viſum eſt expediri poſſe. Illarum primam, quae ſiniſtrorſum occurrit ꓘN, etſi contrario poſitu ſculptam, tres litteras NIK complecti, nihil haeſitans affirmo. Sequitur eodem verſu ME, in duas M, & E reſolvenda. Infra conſpicitur expreſſiſſime Δ; in vertice demum Ȣ, cui duplicem poteſtatem denotandi O, & OΥ, plurimis edoctus Graecorum marmorum exemplis tribuo. Ex quibus artificis nomen nitide emergit NIKOMEΔOΥ, *Nicomedis* (opus). Scribendum quidem fuerat emendatius NIKOMHΔOΥ, ſed perfrequens litterae H in E permutatio non in ſequioris aevi monumentis modo, ſed in vetuſtioribus occurrit, ut in Thebanorum, & Athenienſium nummis[2], priſciſque aliquot marmoribus. Jam vero artificum nomina nunc ſingillatim, nunc etiam σημειωδῶς ſcripta eorumdem operibus appoſita, nemo hominum ignorat, quin in re aperiſſima utar teſtibus non neceſſariis. Et ne ab *Aquariis*, de quibus nunc ſermo eſt, diſcedam, lapicidae nomen in ſequenti urna Meſſanenſi legitur, itemque in Latinis nonnullis, quas diligentiſſimus Mannius in Italica de hoc argumento diatribe collegit[3]. Quid memorem ſigilla ſive Stephani Conſulis[4], ſive Gregorii Siciliae Praetoris,[5] in quibus formula, Κύριε Βοήθει δούλῳ σοῦ, (alias integre, omnibus

1 V. S. Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum ad Ferrandum Diaconum *de quinque Quaeſt.* *Pariſiis* 1684.

2 Spanhemius *de v. & P. Numiſm. Diſſ.* 1I. *Londini* 1706.

3 *Diſſertazione intorno alle Pile d'acqua Santa. Memorie della Società Colombaria* tom. II. *Livorno* 1751.

4 Gualtherus *Tabulae Antiquae Siciliae* pag. 101. *Meſſanae* 1624. Adde annulum ſigillatorium, qui Calatae Hjeronis eſt, cum his litteris OB BOH KOCTANINOY. Itemque ſigillum, quod Catanae in archivo Eccleſiae principis adſervatur. KE BH. τῳ Δουλῳ PωΓEPI. KOMIT.

5 Ficcoronis *Piombi antichi part.* 1. *tavola* 11. *Roma* 1740.

bus ferme ſuis litteris expreſſa in marmoribus Selimbriae, & Hadrianopoli [1]) compendiarie adumbrata viſitur in eum ferme modum, quo in noſtro vaſe artificis nomen? An ex orthographiae ſimilitudine colligere licebit, prope ad eamdem aetatem, qua iſthaec monumenta fuerant elaborata, urnam quoque excisam credi oportere? Splendidiores, aut ego fallor, in hac, quam in illis vetuſtatis notae. Neque ad epotationem tantummodo, adſperſionemque, ſed ad *lotionem* etiam crateres hujuſmodi fuiſſe in templorum propylaeis poſitos, luculento ſane indicio eſt Aquarium Byzantinum, quod in s. Diomedis exſtitiſſe traditur, cujus in labro circulatim ſcriptum legebatur.

ΝΙΨΟΝ ΑΝΟΜΗΜΑΤΑ ΜΗ ΜΟΝΑΝ ΟΨΙΝ
Lava iniquitates, non ſolam faciem [2].

Adnecto nunc epigrammata duobus catinis aquae exorcizatae adſervandae olim deſtinatis, labente ſaeculo XII. inſcripta juſſu venerabilis viri Lucae Archimandritae, cujus magnum per ea tempora fuerat nomen [3]; illudque praemoneo in utroque litteras Ε, Σ, Ω ſic conſtanter efferri Є, C, ω; quae una litterarum forma jamdudum ab Hadriani temporibus in nummis, ac marmoribus invaluerat. Primus crater Meſſanae eſt in aede SS. Salvatori conſecrata. Fuerat ibi

 quon-

1 Fleetwood *Inſcriptionum Antiquarum Sylloge pag.* 482. *Londini* 1691.

2 Graterus retulit *pag.* MXLVI. Graucolaſius *Commentar. Hiſtoric. in Breviarium cap.* XXIX. *Antuerpiae* 1734. de luſtrali apud Graecos aqua diſputans monet: *de ea hodie tantummodo bibunt, olim lavabant*.

3 Lucae Archimandritae praeſtantiſſima virtus, & vita ſancte tranſacta liquido apparet, poſteriſque commendatur ſedecim Stichis, quibus ipſius elogium conſtat, & hodiedum legitur Meſſanae inſcalptum tabulae marmoreae in ara maxima inſignia templi s. Johannis Hieroſolymitani, ſubiato ſerico *antimenſio*, quo altaris facies obtegitur. Notatu praeſertim digna carmina quatuor, quibus egregia Lucae merita ſic extolluntur.

ταῖς ἀρεταῖς λάμψαντα φωσφόρου δίκην,
πολλοῖς φανέντα πρόξενον σωτηρίας,
Μόνῳ θεῷ ζήσαντα τὸν πάντα χρόνον,
Καὶ σῶμα νεκρώσαντα.

Virtutibus reſplenduit luciferi inſtar,
Qui multis fuit conciliator ſalutis,
Uni Deo qui vixit omni tempore,
Corpuſque mortificavit.

Pirras epigraphen mendoſam, & latine tantum dedit; atque in eo etiam peccavit, quod Beati Lucae diem emortualem anno Chriſti 1175. conſignaverit. Erratum ex autographo emendo: in eo quippe obitus enunciatur accidiſſe an. 6657. more Graecorum, qui eſt reparatae ſalutis 1149.

quondam illuſtre Monachorum Baſilienſium coenobium, cui Lucas praefuit, ſed tranſlatis a Carolo V. Caeſare Aſcetis ad linguam Phari, ut nova arx conderetur, locus militibus ceſſit, urnaque pro luſtrationibus aedificata Praeſidiariorum filiis baptizandis nunc inſervit; epigramma illius ſic habet.

✝ ΤΗ ΚΕΛΕΥΣΕΙ ΤΟΥ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ ΗΜΩΝ ΠΑΤΡΟΣ
ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΥ ΑΡΧΙΜΑΝΔΡΙΤΟΥ ΚΥΡΟΥ ΛΟΥΚΑ
ΜΗΝΙ ΜΑΡΤΙΩ ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΩΣ ΙΓ. ΕΤΟΥΣ ϚΧΜΓ.

Infra

ΤΟΝ ΚΟΙΛΑΝΑΝΤΑ ΤΗΝ ΚΟΛΥΜΒΗΘΡΑΝ ΛΟΓΕ
ΣΩΖΟΙΣ ΓΑΝΔΟΥΛΦΟΝ ΤΑΙΣ ΠΡΟΦΗΤΩΝ ΠΡΕΣΒΙΑΙΣ

ΙC ΧC
ΝΙ ΚΑ

Juſſu Sanctiſſimi noſtri Patris,
Et magni Archimandritae Domni Lucae
Aerae Chriſtianae 1135. *Menſe Martio Indictione* XIII. *Anno* 1643.

Qui excavavit piſcinam, o Verbum,
Salva Gandulphum Prophetarum precibus.
Ieſus Chriſtus vincit [1].

Ex Sicilia in proximos Brutios biennio poſt migravit Lucas, ut alterius, nec minus celebris monaſterii *τῶν πατέρων*, vulgo del *Patirio* [2], prope Roſſanum praefecturam gere-

1 Edita inſcriptio eſt in opere poſthumo Gregorii Placentini *De Siglis Veterum Graecorum pag.* 116. *Romae* 1757. Vox ΚΟΛΥΜΒΗΘΡΑ locum certe denotat, in quo liceret innatare, ideoque antiqua Baptiſteria, ut monui *pag.* 30., ob aquarum copiam, ſuique capacitatem hoc nomine donabantur. Hic vocem ad pelvim ſignificandam translatam cernis.

2 Marafiotti *Croniche, e antichità di Calabria. lib.* IV. *cap.* XXVIII. *Padova* 1601. Lubinus *Abbatiarum Italiae notitia litt. P. Romae* 1693. Sciomari *Vita di s. Bartolommeo Ab. not.* III. *Roma* 1718. Inſignia quaedam, ac vetera hujus Monaſterii documenta ex variis Bibliothecis collegit noſtri laboris Maecenas CARD. SPINELLUS, cui Abbaria commendata eſt. Inter ea praeclariſſimum mihi viſum eſt *Placitum* Roparti Epiſcopi Eoriae deſcriptum ex Codice Biblioth. Chiſianae *num.* 531. *pag.* 63. & 64., quo Epiſcopus bona Monaſterio oblata eidem, lata judiciali ſententia, confirmat, addito inſuper anathemate, ut ſi quis immutare, rapere, uſurpare praeſumpſerit, ἔστω ἢ καταραμένος παρὰ Κυρίου θεοῦ παντοκράτορος, ἢ παρὰ τῶν τιη ἁγίων θεοφόρων πατέρων κληρονόμος, ἢ τὴν ἀρὰν λαβέτω τοῦ προδό-
τῦ

gereret. Ibique cum multa ad religioſae familiae diſciplinam, cultumque Dei amplificandum ſanxiſſet, tum de publicis, ſtatiſque caeremoniis cogitavit. Et quoniam luſtralis aquae uſus non in poſtremis habetur, concham marmoream, in qua adhuc dum in Theophaniis Μονότροποι conſecrationem peragunt, fieri juſſit, talibus eidem inciſis verſibus.

✝ ΡΗΓΟΣ ΚΡΑΤΑΙΟΥ ΤΟΙΣ ΧΡΟΝΟΙΣ ΡΟΓΕΡΙΟΥ
ΤΟΥ ΠΑΝΟΣΙΟΥ ΛΟΥΚΑ ΤΩΝ ΜΟΝΟΤΡΟΠΩΝ
ΑΡΧΕΙΝ ΛΑΧΟΝΤΟΣ ΣΚΕΥΟΣ ΕΙΡΓΑΣΤΑΙ ΤΟΔΕ.
ΠΕΜΠΤΗ ΤΗΣ ΣΑΡΑΚΟΣΤΗ ΠΡΟΣ ΕΞΑΚΟΣΙΩ.
ΕΚΤΗΤΕ ΧΙΛΙΑΔΙ ΠΑΡΟΔΩ ΧΡΟΝΩΝ.

Regis potentis temporibus Rogerii,
Sanctiſſimus Lucas Monachorum
Praefecturam quum teneret, haec urna efficitur, An. ab Orbe condito 6645. reſpondet aer. Chriſtian. 1137.
Quinto quadrageſimo, & ſexcenteſimo
Sexque milleſimo annorum curriculo.

Deſcriptis hucuſque conchis vetuſtius fortaſſe cenſendum eſt marmoreum illud baptiſterium, quod Syracuſis ſummo apud populares in pretio extat, & inſigne avitae religionis documentum creditur. Ea dudum civium animis alte inſedit opinatio, eumdem eſſe craterem, in quo S. Marcianus, primus ab Apoſtolorum coryphaeo Petro gentibus illis Epi-

ve, *ſit maledictus a Domino Deo omnipotenti, & a tercentis decem, & octo Deiferis Patribus, & heres maledictionis Judae proditoris*. Frequens quidem ea *imprecatio* in Chriſtianis monumentis, diplomatis, ſepulchris, donationibus, teſtamentis &c., quod pluribus nuperrime oſtendit Ci. Jacutius *in Exercitatione Philologica ad ſepulchralem titulum Bonuſae, & Mennae Romae*, 1758. Sed quoniam Graeca hujus anathematiſmi teſtimonia non adeo obvia ſunt, Placiti verba adſcripſi. In quibus illud etiam obſervatu dignum, Nicaenos Patres θεοφόρους appellari. Lectores mendacio fallit Chriſtianus Henricus Eckardus in *Introduct. ad rem Diplomat Sect.* II. §. XXV. *Jenae* 1753., qui ait, diriſſimas haſce imprecationes Clericorum inventum fuiſſe, ut Eccleſiae opes augerent, & homines a repetendis bonis injuſte occupatis deterrerent; quandoquidem hae dirae Sepulchris primum fuerunt appoſitae ad violatorum auſus arcendos, atque non largitionibus tantummodo *pro remedio animae* factis, ſed aliis chartis, conventionibus, inſtrumentis, venditionibus adjectae reperiuntur ad datam fidem obligandam, initaſque inter *Laicos* pactiones inviolate retinendas.

lis Epiſcopus datus, Ethnicos Chriſti fidem, cultumque capeſſentes ſalutari merſione coelo regenerabat. Vulgus quidem, ut a Tullio optime eſt dictum, ex veritate pauca, ex opinione multa aeſtimat. Sed quid, quod cum illius judicio congruit eruditorum aliquot ſententia? Octavius Cajetanus in *Iſagoge ad Hiſtoriam ſacram Siculam* [1] idipſum minime dubitanter affirmat. Sane ſi quid praeſidii umquam eſt ad hanc vulgarem credulitatem tuendam, attrahi illud fortaſſe poterit ex Graeco S. Marciani encomio, quod inter Vaticanos Codices num. *668*. reperit Cajetanus, & latinum fecit Sirmondus. In eo quippe dicitur: *προσευχόμενοι βαπτίζοντο ὑπ' αὐτῶ ἐν τῇ μέχρι νῦν σεβασμιως προσκυνομένῃ κολυμβήθρᾳ*, *baptizabantur autem ab illo orantes in lavacro, quod ad hoc uſque tempus in veneratione eſt* [2]. Verum ne hoc mihi perſuadeam, *κολυμβήθραν*, in qua Marcianus baptizabat, quamque auctor Encomii ſua adhuc aetate, nempe ſaeculo VII., in veneratione haberi dixit, ipſum eſſe craterem, qui a Cajetano producitur num. 13. & Syracuſis digito advenis monſtratur, duo potiſſimum prohibent. Ac primo quidem crateris forma. Nam adeo illum anguſtum eſſe, minimaeque profunditatis, ut in eo baptizandi nequaquam mergi poſſent, datis ad me anno ſuperiori litteris, certiorem fecit oculatus rei teſtis, idemque antiquitatis, rerumque liturgicarum ſcientiſſimus, Dominicus Schiavo Panormitanus. Atqui primo Eccleſiae ſaeculo Baptiſmum *per immerſionem* conſtanter collatum fuiſſe, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. An non ſolius merſionis Baptiſma per plura ſaecula ita receptum, ut ſi ſola *adſperſione* fieret, nonnulli Epiſcopi in dubium vocarint, num rite, legitimeque adminiſtraretur, ideoque S. Cypriani de re judicium exquiſierint [3]? Annon *intinctio*, *affuſio*, *adſperſio* ſero admodum inducta? Marcianus igitur eo cratere ad tingendos homines, labemque originis diluendam haud uti poterat. Praeterea credibile ne eſt, Marciani temporibus Chri-

1 *Pag.* 335.

2 Agiographi Antuerpienſes *ad* XXV. *Junii*,

3 *Epiſt.* LXIX.

Chriſtianos id in more habuiſſe, ut nomen ſuum, & largitionis memoriam donariis inſculptam vellent perennare? Abhorret penitus a temporum illorum ingenio, & ſimplicitate; nec id genus formulas, niſi v. ſaeculo uſitatas, norunt viri eruditi. Atque haec duo tantam ciere difficultatem poſſe mihi videntur, ut lubenti, volentique animo in Cl. Schiavo ſententiam concedam, craterem illum vi., vel vii. ſaeculi opus eſſe, nec in alium uſum, niſi aquae luſtrali adſervandae principio fuiſſe comparatum.

Inſcriptio quidem manca, & magna ſui parte exeſa jam erat, quum eam Gualtherus ſumpſit exſcribendam. Exemplum tamen ille profert ex Mirabellae ſchedis [1], cujus ope reſtitui, ac ſuppleri a me utcumque poſſe confido. Sic is olim legerat.

ΑΝΘΗΜΑ ΙΕΡΟΥ ΒΑΠΤΙΣΜΑΤΟΣ
ΖΟΣΙΜΟΥ ΘΕΩ ΔΩΡΟΝ ... ΑΤΟΝ ... ΚΡΑΤΗΡΑ

Donarium ſacri Baptiſmatis
Zoſimi Deo donum .... vas.

At ſi una tantum immutetur littera, quae deſcriptori fortaſſe incaute obrepſit, ſcilicet Υ in Σ, hic erit perfacilis, obvius, naturalis ſecundi verſus ſenſus.

ΖΟΣΙΜΟΣ ΘΕΩ ΔΩΡΟΝ ἔδωκΑ ΤΟΝ δὲ ΚΡΑΤΗΡΑ.
Zoſimus Deo donum obtuli hunc craterem.

Nec quicquam moleſtiae iniicit vox *βαπτίσματος*, qua alium fuiſſe urnae uſum certo videtur definiri: omnis enim expiatio, quae aqua conſecrata peragitur, hoc uno nomine, laxe ſaltem, appellari poteſt. Nonne Johannes Damaſcenus Leviticas lavationes *βαπτισμὺς* dixit [2]? Ceterum ſi quis pro *Baptiſterio* pugnaverit, & craterem, quum primo fabricatus fuit, renovationis Sacramento adminiſtrando de-

1 *Pag.* 13. *Tab. antiq.* 2 V. Sulcerum *Theſaur. Eccl.* V. Βαπτίζω. pag. 615.

do dedicatum tuebitur, illud tamen ab his, qui ſapiunt; numquam impetrabit, ut s. Marciani aetate poſitus credatur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Sublatis balneis, aliiſque lotionibus, una ſuperſtes in Eccleſia Catholica luſtratio Aquae Benedictae. *Valdenſium, Lollardorum, & Wicleſiſtarum errores. Argumenta, quae adverſus hujus aquae uſum, & efficientiam Baſnagius operoſe collegit, ſingillatim diruuntur. Antilogia hac in re a Calvino perperam Catholicis imputata. Sal aquae conſecratae admixtus ex veteri Eccleſiae inſtituto. Qua ratione ab antiquis, probatiſque Theologis dicatur, leviora crimina hac aqua aboleri. Id genus Sacramentalia Eccleſiam ſemper habuiſſe. Divinam, expreſſamque Chriſti promiſſionem ad id haud fuiſſe neceſſariam, contra Chemnitium oſtenditur. Quam prudenter, recteque cautum, ne a quovis aqua conſecraretur. Abſurda conſectaria, niſi certi conſtituantur Sacrorum miniſtri. Baſnagius in producendis hiſtoriae Eccleſiaſticae monumentis ſibi minime conſtans. Luſtralem aquam a priſcis Chriſtianis reſervari conſueviſſe probatur. Duplex in Latina etiam Eccleſia aquae conſecratio ex antiqua traditione retenta demonſtratur.*

Ecclesia non tam Chriſti ſponſa, quam omnium illius conſiliorum interpres, cujus arbitrio, auctoritatique univerſa ſacrarum caeremoniarum diſciplina eſt commendata, quemadmodum illas conſulto invehit, & conſtituit, ita quandoque, ſalva religione, eaſdem pro varia hominum, temporumque conditione antiquat, vel immutat. Nam ut egregie Tertullianus ſcriptum reliquit initio libri de velandis Virginibus: *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis. Hac lege fidei manente, caetera jam* DISCIPLINAE, *& converſationis admittunt* NOVITATEM *correctionis*.

nis[1]. „ In quo ſane ſancti Spiritus ſuffragium hiſce Eccleſiae „ decretis minime deeſſe, quum quidpiam ſtatuitur, aut „ immutatur, quod in Myſteriorum decorem, populique „ Chriſtiani utilitatem cedere poſſit, ex Hieroſolymitano „ Apoſtolorum concilio didicimus „ [2]. Quamvis igitur lavandi mos pietatis, cultuſque ergo adeo majoribus noſtris uſitatus, bene, ac laudabiliter inductus dici debeat; quamvis diu ille incredibili ſtudio retentus perdurarit, atque in ipſius gratiam qua balnea, qua fontes, qua vaſa prope ſacras aedes a ſanctiſſimis viris exſtructa hactenus commendaverim; a quavis profecto abeſt reprehenſione, quod ſic probata, inveterataque conſuetudo tandem obſoleverit, nullaque jam apud nos reliqua ſit luſtratio, niſi AQVAE BENEDICTAE. Neminem ego rerum Eccleſiaſticarum adeo expertem, & ignarum credo, qui neſciat, tot revera, tantaque huic piiſſimae luſtrationi patrocinari, ut, ſi in locum balneorum, caeterarumque lotionum ſucceſſit, Eccleſiam Chriſtiani populi utilitati hac in re optime conſuluiſſe fatendum plane ſit; Haereticos vero, qui ad eam labefactandam, traducendamque machinas, & fallacias commoliuntur, nimio in nos odio inflammatos, atque incenſos animum ad ſcribendum adjeciſſe. Nam ſi vetuſtas ad fidem faciendam requiritur, quid aqua conſecrata antiquius? Si illuſtrium, ac ſapientiſſimorum hominum auctoritas valet, quid perpetuo illius uſu comprobatius? Si miracula coelitus facta proſunt, quid illius virtute, & efficientia teſtatius? Mirum ergo, quo hominum improbitas, & veſania proceſſerit! Infamis illa, ac peſtilenta *Petri Valdi* ſoboles, quae, vertente ſaeculo XII., in res ſacras tantopere debacchata eſt, Raineiio[4], & Pilichdorffio[5] auctoribus, *aquam benedictam* ſimplici, ac natura-

1 Hoc ipſum docuerunt s. Auguſtinus *ep.* LIV. *cap.* II. alias CXVIII. Nicolaus PP. *ep.* II. *ad Photium*. Ivo Carnotenſis *ep.* II. *ad Finardum*. *Pariſiis* 1641.

2 Ita immortalis Ludovicus Maratorius *de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio lib.* I. *cap.* XV. *Pariſiis* 1714. Adi inſuper, ſi quid eſt opus, Franciſcum Dominicum Bencinium, virum multiplicis eruditionis *de litteris Encíclycis Diſſert.* II. *cap.* V. §. I. *num.* IX. & X. *Auguſtae Taurinorum* 1730.

3 Confer Antonii Bellotte *Ritus Eccleſiae Laudunenſis redivivos &c. Obſerv. ad part.* III. *cap.* X. *pag.* 256. *Pariſiis* 1662.

4 *Contra Valdenſes cap.* V. Biblioth. PP. *tom.* XXV.

5 *Contra Valdenſes cap.* XXIII. & *ſequ.* ibidem.

turali omnino parem, ideoque ab Eccleſia eliminandam dictitabat. Ex nefanda Valdenſium colluvione, unde prognati Fraticelli, Beguardi, Paterini, ortum etiam duxere ſaeculo XII. ineunte, *Lollardi*; genus hominum, ut Hocſemius teſtatur [1], *gyrovagum*, *& Hypocritum*, cui ex Waltero Lollardo ſectae inſtitutore, ſi Trithemio [2], Lenſintio [3], & Georgio Walchio [4] credendum, hoc agnomentum adhaeſit. Hi quoniam aſſeverabant, *benedictionibus*, & exorciſmis res nequaquam meliores fieri poſſe, quam illas Deus condiderit; idcirco magorum in morem facere ajebant, qui, illis adhibitis, aquae virtutem indere nituntur.

Atqui ineptiſſima haec,& deteſtanda commenta tanti nihilominus feceruntmiſeri illi caeci, & duces caecorum, qui ſeculo XVI. dum Eccleſiam in priorem formam ſe revocare jactabant, rem Catholicam funditus perturbarunt, veterumque haereſeon pene omnium patrocinium ſuſceperunt, ut idem de aqua benedicta dixerint Wicleſiſtae in libello oblato Parlamento Regis Richardi quaeſt. v. Refutatae jampridem illorum argutiae, & vindicata doctrina de antiquitate, uſuque aquae luſtralis a Pamelio, Bellarmino, Baronio, Gretſero [5], Antonio Marſilio Columna [6], Joh. de Turrecremata [7], Grimaudo [8], aliiſque; ut quae ad veritatem oppugnandam a cavillatoribus aſſumuntur, facile per ſe concidant, ac diſſolvantur. Major ergo culpa conferenda in noſtrae aetatis ſcriptores Hildebrandum [9], Binghamum [10], Hoepfnerum [11], Bayerum [12], qui poſt tot edita a catholicis apologemata adhuc

1 *De Geſtis Pontificum Leodienſium*. cap. XXXI. extat *tom.* II. *Geſt. Pont. Leod.* Chapevalil. *Leodii* 1612.

2 *In Chron Hirſaugenſi ad annum* 1315. *Francofurti* 1601.

3 *Hiſtoire de la guerre des Huſſites*, *& du Concile de Baſil. Tom.* I. *lib.* II. *Amſterdam* 1731. Rutius *Hiſtoire du Concile de Piſe lib.* VI. *Amſterd.* 1724.

4 *Exercitatio de Lollardis*. §. III & IV. *lib.* III. *Miſcell. Sacror. exer.* V. *Amſtelodami* 1744.

5 *De Benedict. lib.* II.

6 HYDRAGIOLOGIA, *ſive de aqua benedicta ſect.* III. *Romae* 1686.

7 *Tractatus de efficacia Aquae Benedictae contra Petrum Anglicum*. *Romae* 1524. Opus tempore Concilii Baſilecnſis conſcriptum aſſerit Cinellus *Bibliot. Volante. Scanzia VII. Parmae* 1692.

8 *Citat. pag.* 130.

9 *Sacra publica veteris Eccleſiae* §. II. *Helmſtadii* 1721.

10 *Origin. & Antiquitat. Eccl. lib.* VIII. *cap.* III. §. VII. *Halae* 1727.

11 *Lib.* II. *adverſus Haereſes*. *Tit. Aqua*. *Haereſ.* II.

12 *De Aqua Luſtrali*. *Jenae* 1692.

Digitized by Google

adhuc eaſdem nobis obtrudunt offucias, & apinas, ritumque ceu inanem, imo ſuperſtitioſum calumniantur. Verum longius adhuc progreſſus eſt Samuel Baſnagius, qui, quamvis Annales ſcribere inſtituiſſet, praeclare de ſuis mereri ſe poſſe confidit, ſi quicquid a ſuae factionis hominibus contra aquam luſtralem excogitatum, prolatumque fuerat, in unum coacervaret, idque novis augeret objectis, novis ambagibus obvolveret, ut vario difficultatum apparatu, plurium rerum congerie, verboſa lucubratione perſpicua quaeque obnubilaret, ſuoſque in ſuſceptis erroribus retineret. Mearum proinde partium eſſe arbitror novum, & inſolentem hoſtem profligare, & quae ille turmatim aggeſſit, partite, ſuiſque momentis expendere, & aptis reſponſionibus ſingillatim diluere, ne, ſilentibus nobis, ſuae communionis homines (quod ſaepe contingere videmus) cauſſa nos excidiſſe glorientur. Et quoniam in eo Baſnagii libro cuncta ferme, quae poni queunt, ſubtiliter, & artificioſe comprehenſa ſunt, Baſnagii argumentis everſis, uno veluti conſpectu apparebit, quibus Catholica doctrina ſtet nixa radicibus. Mihique cum illo congredienti liceat iiſdem praefari verbis, quae olim diſputaturus Cyrillus Alexand. uſurpavit. Οὐκοῦν ὀνήσομαι μὲν κατὰ λόγον αὐτῷ δεῖξαί τε σαφῶς, ὅτι σαθρά τε, καὶ γραώδη τὰ παρ' αὐτοῦ μυθαρία, καὶ φρονήσεως μὲν τῆς ἀγαθῆς ἀμοιροῦνται παντελῶς, στροφὰς δὲ εἰκαίων ἔχοντα λογισμῶν. *Quocirca ordine illi occurrendum cenſeo, demonſtrandumque, putidas, & aniles ejus eſſe fabellas, atque omni plane deſtitutas judicio, & inanium dumtaxat rationum ſtrophis refertas*[1].

Principio quidem[2] antilogiam producit, quam Calvinus lib. IV. Inſtitutionum cap. X. §. 20. objecerat; nempe Catholicos ſecum minime cohaerere, quum aquae benedictae orignem ab Apoſtolis uſque repetunt, & tamen Alexandrum, ſextum a Petro Pontificem, inſtituiſſe affirmant. Sed nihil levius hac prima argumentatione. Nam ſi quae de

 Ale-

1 *Lib. X. Comment. in Johan.*

2 *Annales Politico-Eccleſiaſtici tom. II. ad an. 130. Roterodami 1706.*

Alexandro perhibentur ab Anaſtaſio, Honorio, Walafrido &c. diligenter attendamus; imo ſi ſubdititius canon in corpus juris Pontificii relatus [1] aequa penſetur trutina, quidpiam novi ne Pontificem *inſtituiſſe*, an potius rem jamdudum inſtitutam ſervandam decreto ſuo confirmaſſe, dicendum erit? Aliud porro eſt novos ritus ex integro invehere, aliud voce, uſuque traditos a majoribus ſcripto mandare, & prudenti ſanctione, ne deſueſcant, roborare. Id autem praeſtitit Alexander, qui idcirco, ut Alphordi in annalibus Eccleſiae Britannicae verbis utar, *nihil fecit non perſcriptum ab Apoſtolis, non uſurpatum prius, non probatum ubique, ſi juſſit, aquam benedici* [2]. At cur, obgannit Baſnagius, ſi inſtitutio ab Apoſtolis manarat, Pſeudo=Alexander ſcriptorque epiſtolae non id monuit ad auctoritatem conſtitutioni conciliandam? O lepidum caput, quaſi vero in omnibus prima origo ſit commemoranda! Sane qui ex antiquioribus libris acta ab Alexandro decerpſit, indeque decretum concinnavit, ſi tuam praevidiſſet ſubtilitatem, monere haud praetermiſiſſet; ſed quoniam longe antea, quam anteſignani tui Valdenſes prodirent, res accidit, ac tunc perſuaſum omnibus id erat, ne verbum quidem ad emendicandam in re non neceſſaria auctoritatem, cenſuit apponendum.

Pergit deinde noſter Hydrophobus, & quoniam animadvertit, ſe inficiari haud poſſe, aquam *Crucis ſigno, & Jeſu Chriſti nominis invocatione* benedictam prioribus Eccleſiae ſaeculis ad daemonis fraudes, praeſtigiaſque disjiciendas, ad febrem, morboſque curandos fuiſſe adhibitam a Joſepho [3], Johanne Chryſoſtomo [4], Marcello Apamaeorum Epiſcopo [5], B. Macario [6] &c., perſpice, quid conſilii ceperit. *Ne falſis vetuſtatis imaginibus ludamur*, inquit [7], *aquae veteris, & novae diſcrimen eſt afferendum*. Ac primam differentiam acceſſit ille ex *diverſitate materiae*. Veteres ſiquidem

1 *Decret. Part.* III. *diſtinct.* III. *de Conſecr.*

2 Ad annum CXXXII. *Leodii* 1663.

3 Epiphanius *Haereſi* XXX.

4 Georgius Alexandrinus in vit. apud Photium *Biblioth. Cod.* XCVI. *Rhotomagi* 1653.

5 *H. E. lib.* V. *cap.* XXI.

6 Palladius *Hiſtor. Lauſiaca cap.* XIX *&c.*

7 *Pag.* 66.

dem aqua ſimplici eſſe uſos contendit, quum contra Pontificii *ſale aſperſa* utantur. Sed nemo profecto, niſi qui velit cum Baſnagio veritati obluctari, novum audebit appellare SALISPARSUM, cujus tam expreſſe, tamque diſtincte meminere Gelaſius I. in libris Sacramentorum Romanae Eccleſiae [1], *Miſſale* Gallicanum vetus [2], & priſca Gotho-Hiſpana Liturgia [3]. Nemo etiam mediocriter doctus commovebitur leviſſimis argumentis, quae ad Gelaſiani Sacramentarii vetuſtatem elevandam in medium protulit ſive adverſarii noſtri gentilis Jacobus Baſnagius [4], ſive Joh. Franciſcus Buddeus [5], ſive Chriſtophorus Matth. Pfaffius [6]. Quid enim in illis ſuſpicias, praeter verborum inanitatem, rei Eccleſiaſticae veteris imperitiam, conſenſus totius antiquitatis ſpretum, imprudentemque conatum, & impetum ad detrahendum omnibus his libris, in quibus luculentiſſima noſtrorum dogmatum teſtimonia reperiuntur? Defenſa viriliter, ac ſolide haec cauſſa eſt, & Gelaſio opus invicte aſſertum a viro ſpectabili, ſummoque Theologo Franciſco Vezzoſi [7], ut validiſſimum certe praeſidium ex illius libri auctoritate repetatur. Adde iſthuc, quod S. Braulio Caeſarauguſtanus tradit de S. Aemiliano: eum nempe rogatum a nobili viro, ut Daemonem pelleret, qui ſuam domum infeſtam habebat, *ſalem exorcizaſſe, aquae commiſcuiſſe more Eccleſiaſtico, & in fugam egiſſe* [8]. An Aemilianus ſalem *more Eccleſiaſtico* aquae indidiſſe dici poſſet, niſi Braulionis aetate is apud Hiſpanos communiter obtinuiſſet, uti Romae jam antea uſurpatum oſtendimus?

Riſum & illa movet Baſnagii percontatio: *Quid meruit oleum, cur non perinde ut aqua, conſecraretur, & adſpergeretur ad inſignes uſus, atque effectus?* Ferme eadem obje-

1 V. tom. III. Operum VEN. CARD. THOMASII *lib. Sacramentorum Roman. Eccleſ. lib.* III. *num.* LXXV. *Romae* 1751.

2 Ex Codice Bobienſi ante mille annos ſcripto excerpſit Mabillonius, vulgavit *Muſ. Italic. part.* II. vide *ad pag.* 386.

3 V. Leſleum ad *Miſſale Mozarabum pag.* XCIII. *Romae* 1755.

4 *Hiſtoire de l' Egliſe Livre* XVI. *Chapitre* X. *à Amſterdam* 1690.

5 *Iſagoge ad Theolog. univerſ. Append. ad cap.* V. *lib.* II. *Lipſiae* 1720.

6 *Diſquiſitio hiſtorica de Liturgiis c.* II. praefixa Inſtitutionibus *Hiſtor. Eccleſ Tubingae* 1721.

7 In elaboratiſſima Praefatione ad tom. VI. VEN. THOMASII.

8 Mabillonius *Saec. Benedict. I. pag.* 211. *Lutetiae* 1666.

objecerat Genevenſis Synagogae alumnus Lambertus Danaeus [1], qui a noſtris exquirebat, cur non etiam conſecrarent ſputum, & lutum, quibus Chriſtus caeco lumen reddidit. Verum ſunt haec ex earum rerum genere, in quibus ſola Eccleſiae oeconomia, voluntas, conſuetudo, quid agendum, quidve praetermittendum ſit, praeſcribere poteſt. Nec vitio illi tribuendum, ſi ex antiquis ritibus alios adhuc ſervat, & exequitur, alios reſcidit, & abrogavit. Caeterum *olei benedictionem* ad morborum curationem a viris ſanctis frequentatam perhibent Tertullianus, Auguſtinus, Hieronymus, Palladius, Gregorius Turonenſis, Sulpicius Severus. Caveat ſibi tamen Baſnagius, dum olei uſum more veteri retinendum depraedicat, ne in eum ſe conjiciat laqueum, quo vellet nos implicare. Nam ſi ab antiquorum moribus defeciſſe nos expoſtulat, eo quia oleum patrandis mirabilibus non amplius conſecramus, ac diſtribuimus; jure oppido meliori de violatis majorum inſtitutis illum objurgabimus, quandoquidem a ſuis haec inunctio in extremo vitae agone omittitur. Illi enim ipſi Patres, fideique noſtrae magiſtri, qui priorem olei uſum, tamquam liberum, & arbitrarium ritum, commendant, alterum a Proteſtantibus neglectum, ut verum Sacramentum, ad leviora delenda crimina, augendaſque infirmi vires in terribili mortis lucta ſervandum apertiſſime docent. Quare ludicros Eccleſiae Reformatores Tertulliani verbis perſtringere licebit. *Laudatis ſemper antiquitatem, & nove de die vivitis. Per quod oſtenditur, dum a bonis majorum inſtitutis deceditis, ea vos retinere, & cuſtodire, quae non debuiſtis, quum quae debuiſtis, non cuſtoditis* [2].

Alterum diſcrimen his verbis a Baſnagio proponitur. *Fine etiam, & effectibus, non ſecus ac materia, aqua Latinorum ab illa veterum diſcrepat. Non enim Daemonibus fugandis modo, ſed venialibus peccatis abſtergendis prodeſſe putant.* Eoque gravius errare nos afferit Bajocenſis miniſter, *quod abſque prae-*

1 *Reſponſ. ad.* 1I. *tom. Controverſiar. Card. Bellarmini. Excud. Jo. le Preux* 1598.

2 *Apologet. cap.* VI.

praeſcriptionis divinae auctoritate hanc vim coeleſtem aquae adjungere mortales homines tentamus. Ut una reſponſione utraque propulſetur criminatio, tria tamquam neceſſaria προτειχίσματα praepono. I. Certum, exploratumque illud eſt, in Eccleſia Dei, de aeterna hominum ſalute, aeque ac de illorum imbecillitae, & inconſtantia jugiter ſollicita, actus quoſdam religionis tanti ſemper fuiſſe habitos, ut eorum exercitio leves offenſae, in quas communi naturae fragilitate quotidie incurrimus, tergi, delerique poſſe jure, & merito crederentur. Nam ne quid dicam de veteri lege, in qua, inquit Auguſtinus, aut quiſquis ille ſit, auctor libelli de vera, & falſa poenitentia: *venialia ſemper remittebantur per caeremonias*[1]; in novo foedere id hominibus certe ſumma Dei clementia indultum agnovit ipſe Auguſtinus epiſtola CCLXV. alias CVIII. *Eſt etiam* (ait) *poenitentia bonorum, & humilium fidelium, in qua pectora tundimus dicentes: dimitte nobis &c. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quae dimiſſa non dubitamus in baptiſmo, ſed illa utique, quae humanae fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt*.[2] II. Quoniam autem haec *Sacramentalia* ad ſummi, aeternique Numinis cultum revera pertinent, & ad illius benevolentiam, indulgentiamque utcumque promerendam tendunt; utrumque recte, & utiliter fieri nequit Patrum omnium judicio, niſi id fiat auctoritate, & conſenſu Eccleſiae, cujus eſt Rempublicam ordinare, & ſacra quaevis praeſtituere. Nec eſt, qui poſſit prudenter inficiari, cum primaria, ſumma, ac firmiſſima a Chriſto Eccleſiae tributa ſacrorum poteſtate, hanc infimul eamdem eſſe nactam *Sacramentalium* numerum, ut opus eſſe cenſuerit, determinandi, augendique. III. Denique quum quicquid praeſidii, adjumenti, bonique ex Sacramentalibus nobis obvenit, exinde enaſcatur, quod hi actus religioſi cum aliquo animi in Deum motu, & implicita peccatorum execratione conjungantur, ſequitur, levia peccata deleri ipſius poenitentis

1 *Cap* XIX. *Opp. tom.* VI.

2 Similia ferme habes *de Symbolo ad Catechumenos lib.* I. *cap.* VII., & *in Enchiridio cap.* LXXI.

tentis hominis, praecedenti gratia ſubnixi, affectu, pioque voluntate, ſive quod a Theologis dicitur, *ex opere operantis*. Atque tota hujus enunciationis explicatio petita, expreſſaque eſt ex uno divini juris conſultiſſimo S. Thoma [1].

His intellectis, tene jam omnis hujus doctrinae conſectaria. Novum itaque Romanenſium inventum, ut Baſnagius garrit, antiquiſque Patribus ignotum minime eſt, leviora delicta, quae errore communi ſuſcipimus, externo aliquo cultus, pietatiſque actu, ac humili obſecratione poſſe detergi. Nihil vero non ſapienter, non caute egit Eccleſia, quum inter haec Sacramentalia *aquam benedictam* recenſuit, quandoquidem illam perpetuo commendatam, patrandis mirabilibus feliciter a majoribus uſurpatam, eamque divini nominis invocatione, & praepotenti Crucis ſigno conſecratam apprime noverat; nec eam a fidelibus, niſi *per modum impetrationis*, adhibendam perſcripſit. Iiſdem ex principiis diruitur, ac diſſipatur alterum Baſnagii ſophiſma, in quo ſe rerum theologicarum omnino expertem prodit, quum veterem Chemnitii [2], Spanhemii [3], aliorumque ſuorum gregalium cantilenam occinit, nimirum ad eam vim, quam aquae conſecratae ineſſe dicimus, Chriſti auctoritatem, divinam-

1 *Parte* III. *quaeſt.* 65. *art.* 1. *ad* 6. *&* 8. *Romae* 1570. Rurſus *quaeſt.* 87. *art.* 3. ita ſcribit. *Ad remiſſionem venialis peccati non requiritur nova gratiae infuſio, ſed ſufficit aliquis actus praecedens ex gratia, quo aliquis deteſtatur peccatum veniale vel explicite, vel ſaltem implicite, ſicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua cauſſant remiſſionem venialium peccatorum; vel per infuſionem gratiae, & ſic per Euchariſtiam, & Sacramenta novae legis. Secundo in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, & hoc modo Confeſſio generalis, tunſio pectoris, oratio Dominica proſunt ad remiſſionem venialium peccatorum. Tertio modo in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiae in Deum, & ad res divinas; & hoc modo Benedictio Epiſcopalis, Aquae Benedictae aſperſio, quaelibet Sacramentalis unctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſimilia operantur ad remiſſionem venialium peccatorum*. Eadem fuit antiquorum Theologorum ſententia, Alexandri Alenſis, Bonaventurae, Abulenſis, Gabrielis, Summiſtarum Silveſtri, & Tabienſis, itemque Suarezii in III. *Part. quaeſt.* 65. *art.* IV. *ſect.* IV. *Lugduni* 1608. At non defuere qui docerent, Sacramentalia leviora peccata abolere non ex opere ipſius juſti hominis illis utentis, ſed opere ſuo, quos inter Thomas Valdenſis *tom.* III. *de Sacramentalib. q.* 68. Melchior Canus *Relect. de Sacr. part.* 1. *ad* 6. Sotus, Valentia, Ledeſma, & Azorius *Inſtit. Moral. lib.* IV. *cap.* XI. *quaeſt.* 4. *&* 5. *tom.* 1. *Opp. Romae* 1660. Hi tamen dum nodos expedire nituntur, in inutiles, & inextricabiles ſua ſe ſubtilitate conjiciunt ſalebras.

2 *Examen Concil. Trident. part.* II. *lib.* 1. *loc.* 1. *Francofurti ad Moenum* 1707.

3 *Miſcellaneorum ad Antiquit. Sacr. pertinentium lib.* VII. *part.* 1. *Opp. tom.* II. *Lugduni Batav.* 1703.

vinamque promiſſionem deſiderari. Frivola, indocta, & prorſus ἀθεολογήτως concluſa eſt iſthaec omnis ratiocinatio; quum id in his tantummodo requiratur, quorum effectus eſt certus, quaeque ſanctitatem afferunt nova gratiae affuſione, & contractas culpas delent *ex opere operato*. Vt enim ridiculus ſit, qui omnium caeremonialium rerum evidentem Chriſti inſtitutionem quaerat, ſic ineptiſſimus plane ſit, qui in unaquaque expreſſam gratiae expetat promiſſionem. Modum igitur ſimilibus argumentis aliquando ponant, pareantque ſapientiſſimo Auguſtino ſcribenti: *una in his ſaluberrima regula tenenda eſt, ut quae non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid exhortationis vitae melioris, ubicumque inſtituta videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur* [1].

Sequitur tertium diſcrimen, quod, Baſnagio judice, in eo eſt ſitum, quod impraeſentiarum aquam nonniſi Presbyteri, certo ritu, ſtatiſque diebus [2] conſecrent, quum contra antiquitus quivis hominum, etiam *Laicus*, ex tempore, proque opportunitate benediceret. Quid Calviniano homini hic propoſitum animo ſit, & quo ejus collineet expoſtulatio, facile deprehenditur. Nempe promiſcuum eſſe debere, omnibuſque commune rerum ſacrarum miniſterium malitioſe ſuis inſinuare, ac perſuadere nititur. Sed ſi prima vel publici juris elementa inſpiciamus, nonne palam fit, illius eſſe rei adminiſtrum deputare, cujus eſt rem ipſam decernere? Si ergo Eccleſia, penes quam, ut demonſtravimus, omnis Sacrorum poteſtas eſt, ad majorem rebus ſacris dignitatem conciliandam, ad fidelium erga illas obſervantiam excitandam, ad confuſionem, indignamque perturbationem amovendam, aquam ab his tantum conſecrari mandavit, qui Sacerdotii honore aucti eſſent; ſi id diebus ad colendum Deum, ejuſque opem implorandam ſpeciatim dicatis fieri juſſit; ſi certas denique peces addidit, quibus oſtenderet, nihil ſe, niſi adſpirante Deo, perficere poſſe, nihil-

1 *Epiſt.* xiv. *alias* cxviii. 2 *Pag.* 66.

nihilque, niſi coeleſti numine ſanctificari; quidpiam ne egit aut ſuo non jure, aut rituum naturae, optimoque ordini non conſentaneum? Hilarion quidem, & Joſeph Comes, *Laici*, ſingulari Dei inſtinctu aquam conſecrarunt; ſed ut impoſterum quiſquis praeſto illam haberet certa auctoritate, & nomine Eccleſiae rectius ſanctificatam, id non a quocumque homine indiſtincte, perturbateque, verum a delecto miniſtro, aptiſque formulis perfici prudentiſſime voluit. Nec certe inconſulto, incauteque proviſum. Confeſſionem abs te, Baſnagi, extorqueat tuus συςρατιώτης Curcellaeus, qui in *inſtitutione Religionis Chriſtianae* ſic ingenue fatetur: *Quamvis Eccleſiae Chriſti regimen ſit Democraticum* (quid ſi Monarchicum, ut revera eſt, agnoviſſet?) *non ſequitur tamen, omnia in ea a promiſcua plebe adminiſtrari debere: quod ſine ſumma confuſione fieri non poſſet. Deus autem non eſt confuſionis, ſeu incompoſiti ordinis, & in Eccleſia omnia decenter, & ordine fieri debent. Quare neceſſe, eſt in ea Antiſtites quoſdam eſſe, non tantum, ut eam verbo Evangelii paſcant, ſed etiam, ut caeteris rebus agendis praeſint* [1]. Niſi id & tu fateare, res catholica ad ſummam illam *Quakerorum*, vel *Trepidantium* arrogantiam, impudentiamque recidet, qui cultus excellentiam in perridicula, & effraeni libertate conſtituentes Miniſterium promiſcue uſurpant [2]. Aut ſi Laicos in rebus divinis tractandis Clericis pares facis, fidiſſimum te aſſeclam prodis haereticorum, quos vehementer deteſtabatur Tertullianus inquiens: *Ordinationes eorum temerariae, leves, inconſtantes. Nunc neophytos collocant, nunc ſaeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus, nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt* [3]. Mitto alia, quae his

1 Opera Theologica. *Inſtit. Relig. Chr. de Eccleſia Jeſu Chriſti cap.* VIII. *Amſtelodami* 1675.

2 V. Roberti Barclaii *Theologiae Chriſtianae Apologiam Theſ* XI. *de cultu. Londini* 1729.

3 *De Praeſcript. Haereticorum. Cap* XLI.

his proxime adnectit Baſnagius, quippe quae vel nihil cum jam a ſe dictis cohaereant, vel ex ſuperioribus monumentis penitus evertantur. Graviora praeſtat urgere.

Alio jam ingenium, ſtylumque vertit, ut quartum reperiat diſcrimen. Adſervari igitur a noſtris animadvertens aquam luſtralem, deſcitum clamat a diſciplina priorum ſaeculorum, quibus reſervatam negat. Vtque aliquid eruditum, & ſuo dignum penu proferat,

Delphinum ſylvis appingit, fluctibus aprum:

adeo appoſitum, inſtitutoque accommodatum eſt, quod objicit, Theodoſii exemplum. Qui, ſi Baſnagium audis, a recenti caede poſt debellatum Eugenium, aqua benedicta expiari debebat, *ſi illa jam in Eccleſiae mores fuiſſet introducta; quomodo, jubente Moſe aqua, luſtrali poſt pugnam milites purgabantur* [1]. Sed ſi ad vivum reſecetur tota haec male contorta, & ἀσυλλόγιστος argumentatio, facile ad irritum cadet putida fallacia, qua Calvinianus accuſator ludificari pertentat; ut enim Cicero dixit: ex falſis principiis profecta vera eſſe non poſſunt. Primo quidem, quum hiſtorici perſonam gerat, parum ſe in hiſtoria verſatum prodit; id enim ſine haeſitatione pro certo ſumit, quod ambiguum eſt. Nimirum ad cladem Eugenii refert Theodoſii poenitentiam, quam teſtibus Ruffino [2], Paullino Diacono [3], ac Theodoreto [4], is quatuor ante annos ſubiit, videlicet poſt necem Maximi, ſtragemque per ea tempora Theſſalonicae patratam. Secundo penſanda eſt Theodoſii culpa, quam Baſnagius haud commemorat. Piiſſimus caetera Imperator, totque nominibus celebrandus, oblitus, ſe Ambroſio, aliiſque Epiſcopis ſpopondiſſe, veniam civibus Theſſalonicenſibus de illatis injuriis ſe daturum, tantum abſuit, ut poſtea animum ab ulciſcendi conſilio abduxerit, quod imo aut juſſerit, aut permiſerit, ſuos milites crudeli laniena in populares, ac peregrinos gladio animadvertere, ac ſaevire. Factum proinde, ut cum ſontibus in-

1 *Pag. 67. col. 1.*
2 *Hiſtor. lib. 11. cap. 18. Pariſiis 1580.*
3 *Vit. Ambroſii in Append. Opp. ejuſdem tom. 11. ed Maurin.*
4 *H. E. lib. v. cap. xvii.*

ſontes etiam militari licentia, ac furore, quaſi violenti turbine obvoluti, miſere interjerint; & quemadmodum Sozomenus habet: *ἐντεῦθεν δὲ πολλῶν ἀδίκων ἐνεπλήσθη φόνων ἡ πόλις*; *hac occaſione multorum innocentium ſanguine civitas completa eſt* [1]. S. Ambroſius proinde perpetratae caedis infandum piaculum deplorans, & una cum Epiſcopis, qui Synodi cauſſa Mediolani convenerant, deteſtans, animoque agitans graviſſimas, diuturnaſque poenas, quas concilia in homicidas voluntarios ſtatuerant, Theodoſium ab Eccleſiaſtica communione octo menſium ſpatio prohibuit, & publicae poenitentiae multam per litteras, coramque illi irrogavit; quam Imperator admiſſae crudelitatis enormitate ſaucius, & *Eccleſiaſtica coercitus diſciplina* fuſis lacrymis peregit, atque perſolvit [2]. Qui ergo hic ſacrarum hiſtoriarum depravator, poſtquam aquae conſecratae *venialium* delendorum vim, & efficientiam riſerat, nunc capitale Theodoſii facinus adſperſione illius expiari debuiſſe affirmat? Poſtquam veteris legis caeremonias, tamquam reſciſſas, abrogatas, fractas alibi dixerat, illas nunc, ut rerum gerendarum exemplar, proponit? Quid eſt hac ſua inconſtantia, mobilitate, levitateque turpius? Milites quidem Iſrael aqua expiationis poſt pugnam a Moſe luſtratos legimus NVMER. CAP. XXXI; quod neminem alieno pollutum ſanguine ſacris intereſſe lex permitteret, ſed illi ſane cum Theodoſio comparari nullo modo queunt; quippe qui non ſuo perciti furore, ſed, jubente Deo, de Madianitis ultionem ſumpſerant.

Caeterum, ut veniam ad id, quod rei caput erat; reſervaretur priſcis temporibus aqua benedicta, nec ne, exinde colligere nullatenus licet. Sed ſi ſacrae vetuſtatis reliquiae certiſſima indicia ſunt eorum, quae a Chriſtianis quondam gerebantur, adſervatam indubitanter illae commonſtrant. Neminem fugit, majores noſtros, dum Chriſtiani nominis oppugnatores religionem maledictis, ſuppli-

1 *H. E. lib.* VII. *cap.* XXV. Vnus is eſt, qui poſt Eugenii cladem haec ſubnectit.

2 S. Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* V. *cap.* XXVI.

pliciiſque inſectarentur, ſacra in ſubterraneis latebris, cryptiſque peregiſſe, ibi ſua *Oratoria*, & ſacella ſibi ad precationem, & ſynaxim conſtituiſſe. Veneranda haec coemeteria luſtrantibus non ſemel in ingreſſu ſacrorum cubiculorum, ubi adhuc integrum exſtabat altare, videre contingit vaſcula nunc marmorea, nunc figulina, quorum diameter erat palmorum II; profunditas unciarum III; vel IV; eaque ſtylobatae, aut collumellae impoſita, gypſoque incruſtata [1]. Jam ſi loci conditionem, ſi concharum formam, ſi illarum poſituram animadvertas, eccuinam uſui deſtinatas dices, niſi aquae luſtrali reſervandae, ſuppeditandaeque his, qui operam divinis rebus daturi cubicula religione ſacerrima adibant? Nam quid poteſt ineptius proferri, quam quod Middletonius Arringhio illudens dixit, vaſcula coemeteralia ***non niſi odoribus, unguentiſque conſervandis inſerviſſe*** [2]. Quis unquam, niſi bardus, & excors ſit, imponi ſibi patietur, Chriſtianos odores, & unguenta ad fores aedicularum, ubi ſummo Deo ſacrificabant, poſuiſſe, vel in patulis, ampliſque catinis adſervaſſe? Eſt id non ſolum fidelium moribus contrarium, ſed a communi ſenſu abhorrens. Atque etiam neminem tam hoſpitem, & peregrinum in ſacris antiquitatibus credo, qui id genus monumenta non modo Gregorii M. (cui unice aquam conſecratam acceptam referri debere praedicant Agiomachi), ſed Gelaſii aetate potiora eſſe addubitet. Quamquam quid ego multa conquiram, quum Chryſoſtomus in plures etiam annos adſervatam apertiſſime dixerit [3]. Hinc

1 Anno 1718. In Coemeterio Praetextati vetus aedicula detecta eſt, in cujus aditu vas columnae ſtructili impoſitum viſebatur. V. Boldetti *Oſſervazioni ſu i Cimiterj &c. lib.* I. *cap.* IX. *Roma* 1720. Nihil laboro in explodenda inepta, ac falſa cujuſdam interpretatione, qui vas illud forte *Gazophylacium* eſſe ſuſpicabatur, in quod Fideles eleemoſynas, oblationeſque pro Clericorum alimentis, aediumque ſacrarum ſupellectili comparanda deponebant. Nam hoc pecuniae cuſtodiendae primum *Loculi* adhibiti a Chriſtianis. Multitudine credentium deinde aucta, auctiſque oblationibus, loculi in ſacculos abje- tunt, unde *Saccularius*, vel *Sacellarius* dictus Miniſter, cui pecuniae communis procuratio demandabatur. *Arculae* tandem ſaeculis ſuffectae, quapropter *Arcarius* appellatus Diaconus aerario Eccleſiae praefectus. Baſnagius ipſe in *Exercitationibus in Baronium pag.* 597. Arcuium fuiſſe fatetur. Aliena ergo a notiſſima, conſtantique diſciplina omnis iſthaec interpretatio.

2 *Germana quaedam Antiquitatis eruditae Monumenta &c. Diſſertationibus inſtructa a Conyers Middleton. ad Tab.* VI. *pag.* 96. *Londini* 1745.

3 Locum retulimus *pag.* 159.

Hinc tamen, unde nos rei conſtabiliendae praeſidium attrahimus, quintum diſcrimen aucupatur Baſnagius. Non enim aquam olim ſanctificatam is contendit, niſi occaſione ſollemnis baptiſmatis, non aliis formulis, niſi ad baptiſmum pertinentibus, nec aliunde a fidelibus hauſtam, niſi ex baptiſterio. A qua conſuetudine prorſus abſceſſiſſe nos expoſtulat, qui illam quavis hebdomada, propriiſque formulis conſecramus, eamque ſingulari vaſculo, pelvi, aut ſitula adſervamus [1]. Sed nihilo majoris eſt operae excuſſum in nos poſtremum telum retundere. Quod antequam facio, commiſeranda eſt obiter in Calviniano hiſtorico tanta ſententiarum repugnantia. Si enim paullo antea dixerat, liberum cuilibet fuiſſe aquam pro re nata benedicere, qua ratione cum hoc componitur, quod modo praeſumit, eam ſcilicet non niſi ſollemnis Baptiſmi tempore fuiſſe conſecratam? An non ipſa varietate, & inconſtantia orationis magnum, & impudens mendacium demonſtratur? Sed quo nos vocat auctor querelarum, eſt accedendum. Quid enim, ſi percenſuero infinita propemodum exempla, facile ex ſinceris Martyrum actis, ex Eccleſiaſticis hiſtoricis, ac Biographis, ex epiſtolis Pontificum petenda, quibus docemur, viros religionis, virtutumque laude praeſtantiſſimos aquam extra Baptiſmi tempus ſanctificaſſe ad loca daemonibus infeſta purganda, ad exitiales, & internecinos morbos curandos, ad noviter exſtructa, inſtauratave templa conſecranda? Demus tamen, nihil ex his fuiſſe actum; nec hilum proficiet, niſi oſtenderit, quam in culpam inciderit Eccleſia Catholica, ſi aucta jam in immenſum credentium multitudine, praeter ſollemnem aquae benedictionem in Epiphania, Paſchate, & Pentecoſte peragendam, minorem aliam addidit, ut commiſſi ſibi populi ſaluti, incolumitatique proſpiceret. Tributam olim primis Eccleſiae Patribus poteſtatem aquam regenerationis ſanctificandi, quam, velut legitimam, verendamque agnoſcit, probet, doceatque, poſterioribus denegatam, aut coërcitam

1 *Pag.* 67.

citam fuiſſe, ne ritus in fidelium utilitatem inſtitutos ſapienter amplificare valerent.

Quod ſi auctoritate *Capitularium* Herardi, & Iſaac Lingonenſis adverſus nos confligit, a quibus fuit cautum: *quod in Sabbatho Sancto Paſchae, vel in Sabbatho Pentecoſtes, ſi qui velint aquam conſecratam ad aſperſionem in domos ſuas recipere, ante chriſmatis infuſionem accipiant* [1]; iiſque teſtimoniis, quae fuerit vetus diſciplina, evincere ſtudet; ne iterum a ſe ipſo diſſidens, atque diſcordans videatur, rejicere profecto, atque aſpernari haud poterit Patres tum aetate, cum rerum eccleſiaſticarum ſcientia ſuppares, qui alteram aquae benedictionem cum priori copulandam edixerunt. Ex his primus erit Leo PP. IV., qui in *homilia de cura Paſtorali* ſic praecepit: *omni die Dominica ante Miſſam aquam benedicite, unde populus aſpergatur, & ad hoc proprium vas habete* [2]. Eodem ſaeculo floruit Hincmarus Rhemenſis, qui hoc ipſum, quod quaerimus, diſerte adſtruit in ſuis Capitulis: *ut Dominico die quiſque Presbyter in ſua Eccleſia ante Miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intra Eccleſiam aſpergatur, & qui voluerint in vaſculis ſuis nitidis ex illa accipiant, & per manſiones, & agros, & vineas, ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula eorum, nec non & ſuper cibos, & potum ſuum conſpergant* [3]. Poſt Hincmarum memorandus venit Ratherius Veronenſis, qui in epiſtola Synodica, licet ita caviſſet, ut *nullus praeſumeret baptizare niſi in vigilia Paſchae, & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis*: quibus diebus fons con-

1 V. *Capitular. Reg. Francor. tom.* I. *lib.* V. CCCLXXXI. *lib.* VI. LXVII. Idem habet Vetus Ordo Romanus. Poterat a Baſnagio, ſi quid ſapiebat, antiquior adhiberi teſtis, ſcilicet Gregorius Turonenſis, qui de Miraculis in gloriam Martyrum *lib.* I. *cap.* XXIV de Fontibus Hiſpaniae, (edit. Ruinartii *Luteciae* 1699.) poſtquam deſcripſit conſecrationem piſcinae, ſive baptiſterii apud Oſen ab Epiſcopo peractam, ſubdit: *tunc quum exorciſmo ſanctificatum* (fontem), *conſperſum deſuper Chriſma omnis populus pro devotione haurit, & vas plenum domi pro ſalvatione reportat, agros, vineaſque adſperſione ſaluberrima tutaturus*. Qua ratione aqua rationis expers exorcizetur, & quo pertineant adjurationes hujuſmodi, conſule Suarezium *de Religione tom.* II. *lib.* IV. *de adjurat. cap.* I. *num.* XIV. *Lugduni* 1630. Qua doctrina intellecta, exorciſmos Eccleſiae ineptiſſime ab haereticis damnari perſpicitur.

2 Labbe *Concil. tom.* VIII.

3 *Capitul.* V.

Digitized by Google

conſecrabatur, indeque aqua a populo hauriebatur: attamen hoc ſuis Presbyteris in mandatis dedit: *omni die Dominica aquam benedictam facite, unde populus aſpegatur, & ad hoc ſolum vas habete* [1].

Quo autem ſacrorum Bibliorum documento, praeceptove confiſi hi Patres minorem hanc conſecrationem tantopere commendarint, ſi Baſnagius, *ὁ ὑβριστὴς*, quaerat? percontanti reſpondebimus, eadem omnino auctoritate, qua prioribus, Eccleſiae ſaeculis major, ſollemniſque peragebatur. Nam Baſilius ad ſuſtollendam dubitationem, *ἀπὸ ποίων ἐγγράφων τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος εὐλογεῖται*, *ex quibus ſcriptis aqua baptiſmatis benediceretur* [2], quid niſi *τὴν σιωπωμένην, καὶ μυστικὴν παράδοσιν*, *tacitam, ſecretamque traditionem* oppoſuit? Sapienter quippe ajebat: *τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων, καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς εὐσέβειαν· καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ οὐκοῦν τίς γε κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται*. *Ex aſſervatis in Eccleſia dogmatibus, & inſtitutionibus alia quidem habemus ſcripto prodita, alia vero in myſterio nobis tradita recepimus ex traditione Apoſtolorum: quorum utraque eamdem vim habent ad pietatem, nec iis ullus certe contradicet qui vel tenui experientia noverit, quae ſint Eccleſiae inſtituta* [3]. Ergo quum minor, ac frequentior benedictio nihil aliud revera ſit, niſi quaedam prioris amplificatio, & uno, eodemque fine utraque aqua a Chriſticolis hauriatur, ſimilis utriuſque origo eſt, & a communi tacitae traditionis fonte profecta. Si Baſnagius igitur priorem ceu antiquam, riteque obſervatam proponit, cur alteram necquiquam diſparem exturbat? Eo autem firmior, ac laudabilior iſthaec traditio cenſenda, quod hujus caeremoniae meminerint Eccleſiae primaevae ſcriptores. In Canonibus enim, quos Apoſtolicos vocant, lib. VIII. cap. XXIX. exſtat praeceptio de aqua ab Epiſcopo, vel Presby-

1 Spicileg. Dacherii *tom*. II.
2 *De Spiritu Sancto cap*. XXVII.
3 *Ibidem*.

ſbytero, adſtante Diacono, benedicenda [1]. Non ego ſane cum Whiſtono, qui canones Apoſtolis ipſis aſſerit [2], allaborabo, ut ſanctionem hanc Matthaeo, cui tribuitur, vindicem, ſed neque Henningio Boehemero [3] concedam, ſpurios indiſcriminatim, abſoluteque dici debere. Nego etiam Dallaeo [4], & Larroquano [5], ante ſaec. v. canones ejuſmodi minime innotuiſſe. Nam ſi minus a viris Apoſtolicis conſtituti, eorumque ſucceſſoribus aucti, amplificatique, quemadmodum Albaſpinaeus [6] tuetur, certe haec canonum ſylloge iI. exeunte ſaeculo compoſita ab ipſo Blondello credebatur, qui libri hujus originem ad an. cc. retulit [7]. Verum undenam deſcripti, collectique ejuſmodi canones? Caveus, homo nihil noſtris partibus favens, audiatur. *Ex communi Eccleſiae primitivae diſciplina, inſtitutis, decretis, & circa finem iI. ſaec. in unum Synodicon redacti* [8]. Si ergo in his de aqua a viro ſacro benedicenda tam perſpicue, tamque diſerte conſtitutum eſt, quae major, aut praeſtantior traditio requiritur? Tandem ſi depravatos illos fuiſſe a ſacrorum codicum corruptoribus Germonio [9] aſſentiar, erit ne quipiam hominum, qui ſanctionem de aqua benedicta in canones ab antiquis haereticis intruſam ſuſpicetur?

1 Edit. Coteler II *Pariſiis* 1618.

2 *Tentamen de Can. Apoſtol. Londini* 1710.

3 *Inſtitutiones juris Canonici l.* 1. *tit.* iI. *Halae Magdeburg.* 1747.

4 *De Pſeudigraphis Apoſtolicis lib.* iiI. *cap.* 2. *Hardervici* 1653.

5 *Obſervat. ad Beveregii adnotationes in Can. Ap. Londini* 1678.

6 *Obſervat. Eccleſiaſticas lib.* 1. *cap.* xiii. *Helmeſtadii* 1657.

7 *Prolegomen. ad Pſeudo-Iſidorum c.* xii. *Genevae* 1626. Qui tamen veri quaſi poenitens ſententiam retractavit. Libro enim *Apologiae pro ſententia Hieronymi de Ep. & Presbyt. ſect.* iiI. *Amſtelod.* 1646. canones Apoſtol. prodiiſſe ſcribit anno ccLxiii. Paullo antiquiorem cenſuit hanc collectionem Petrus de Marca, eamque conſignat anno ccLxiii. *De Concord. Sacerdot. & Imperii lib.* iiI. *cap.* iI. *Pariſiis* 1641. V. Joh. Gulielm. Janum *de Antiquitat. Canonum Apoſtolicorum Vitembergae* 1706.

8 *De Script. Eccleſ. ſaec. Apoſtol.*

9 *De Veter. Haereticis Eccleſiaſtic. Cod. corruptorib. lib.* iI. *part.* 1. *cap.* iv. *Pariſiis* 1713.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Balnea olim a Chriſtianis religionis cauſſa ſuſcepta, & aquam luſtralem, etſi Ethnicis uſitata, a quavis ſuperſtitione abeſſe evincitur. Inepta Novatorum expoſtulatio ab Auguſtino dudum exploſa. Profana monumenta nihil Hoſpiniano, Muſſardo, Kromayero, Middletonio, ſociiſque hac in re ſuffragantur; quorum ratiocinatio perabſurda probatur. Gregorius M. ab auctoris novae Bibliothecae conviciis vindicatur. Sanctiones illius pro converſione Anglorum cum geſtis a Patribus Concilii Epaunenſis conſentire. Ethnicorum inſtituta in Chriſtianos uſus rectiſſime tranſlata. Turretini inſcitia, & συκοφαντία. Prima luſtrationum origo ab Hebraeis petenda; ſed non ideo Chriſtianis inviſas illas eſſe debere. Holdſwortius, Prideauxius, Maſtrichius, Pfaffius, Buddeus confutantur. Limborchii doctrina de rebus ritualibus plane diſcordans a ſuorum Remonſtrantium Confeſſione, *ab Epiſcopio vulgata. Locus Juſtini Martyris in contrarium ſenſum ab Haereticis maligne detortus. Tertullianus ab iiſdem perverſe mutilatus. Argumentatio ex teſtimonio Optati Milevitani a Baſnagio inſtructa, & ab ipſo ἀδιάλυτος dicta diſſolvitur. Operis epilogus.*

QVAMQVAM ea argumenta, quae millies agitata, & ultro, citroque verſata jam acumen habuere deſierunt, pro magnis, & exquiſitis opponere vel indocti ſit, ac parum callidi, aut multum impudentis; non aliis attamen ſophiſmatis ſacrorum caeremonias ab haereticis noſtrae aetatis ſcriptoribus appeti, ac ſuggillari videmus, quam iis, quae duobus abhinc ſaeculis primi ſectarum architecti, & inventores protulerunt, quaeque Catholicorum mandata, confutataque libris omnium ante oculos obverſantur. Aut igitur a noſtrorum Theologorum lectione per inexſcuſabilem ignaviam abſtinent, ne a ſuſceptis erroribus

bus abducantur, aut eadem perfracte regerunt, ut mali conſortes, veteri fraude jam irretitos, tenacius obligent: quorum alterum perverſae ignorationis, alterum nequiſſimae petulantiae eſt. Ita ridiculum auditu, & iteratu eſt, quod ajunt, luſtralis aquae, omnemque lotionum, & expiationum uſum, quotuſcumque ille eſt, ab Ethnica quadam, impiaque ſuperſtitione manaſſe. Ex quo enim foederata Magdeburgenſium ſocietas[1] ingentem nobis praetexuit hoc nomine culpam, imaginaria criminatio adeo uſque ponderoſa Hoſpiniano viſa eſt, ut plures paginas in ea extollenda, ornandaque compleverit[2]. Hoſpinianum inſequuti ſunt, praeter memoratos alibi ſcriptores[3], Muſſardus[4], & Kromayerus[5], Middletonius[6], itemque Samuel Baſnagius, qui turpe ſibi futurum metuens, ſi quid reliquum feciſſet eorum, quae inepte, quae calumnioſe a ſuis contributis dicta, ac recantata fuerant, Idololatriae piaculum poſtremo loco Catholicis objecit[7]. Quae una expoſtulatio ſi vera, & germana eſſet, inexpiabili profecto in culpa fuiſſent viri pientiſſimi, optimique, quotquot non modo aquam exorcizatam commendarunt, ſed in balnea tergendis ſordibus conceſſere, antequam rei divinae operam darent, quod id ipſum Ethnicis antiquum, & obſervatum fuerit. Noſtra itaque plurimum refert hanc propulſare calumniam, ne pro Chriſtianis, caſtiſque ritibus corruptos, contaminatoſque *Gentilitatis* mores revocare, ac reſtituere videamur

Balneorum, caeterarumque lavationum uſum a Paganis ad Chriſtianos immigraſſe, adeo compertum, firmum, & apud omnes in conſeſſo eſt, ut ego ipſe in operis ingreſſione non ſimulate monuerim, & thematis documenta a profanis ſcriptoribus, gentiumque exterarum inſtitutis repetere minime dubitarim. Fruſtra ergo in eo tan-

 tum

1 *Centuria* II. *cap.* v.

2 *De Templis lib.* II. *cap.* xxv. *Genevae* 1672.

3 *Pagina* 170.

4 *Conformités des Ceremonies modernes avec les anciennes &c. à Genève* 1661.

5 *Scrutinium Religionum*. *Disput.* II. *de Paganiſmo Theſ.* 58. *Aqu. Luſtral. Lipſiae* 1714.

6 In opere, cujus meminimus *cap.* VIII.

7 *Pag.* 67.

tum ſtudii collocant caeremoniarum oſores, ut aquam luſtralem apud nos ſuperſtitem Graecis, Latiniſque communem fuiſſe oſtendant. Recinant quantum libet, Virgilianum illud de Aenea, quum Miſeno parentaret:

> *Idem ter ſocios pura circumtulit unda,*
> *Spargens rore levi, & ramo felicis olivae*
> *Luſtravitque viros ....*

Proferant ex Ariſtophanis Scholiaſte in *Nubibus*, ex Polluce lib. VIII., quemadmodum homines poſt Manium ſacrificia ὕδατι περιῤῥαινόμενοι, *aqua circumſperſi purgabantur*. Memorent ex Horatio, Tibullo, Ovidioque luſtralem aquam in ſacris, eamque, teſte Athanaeo, ἐκ τοῦ βωμοῦ, *ex altari* hauriri conſueviſſe dicant. Addant etiam, ſi quid ſibi prodeſſe putant, περιῤῥαντήρια in Deorum templis luſtrationum cauſſa oblata; *aſpergilla* in nummis Auguſti Divi F., aliorumque cum inſignibus Pontificalibus caelata. Laudent Marcum Antoninum, imminente bello Marcomanico, milites luſtrari jubentem [1], vel Julianum Apoſtatam in foro mercem eſculentam aqua luſtrica a ſacrificulis adſpergi imperantem, ut Chriſtiani vel fame interirent, vel pollutis veſcerentur [2]. Inſigne Valentiniani facinus centies praedicent, qui, quum adhuc Tribunus militum eſſet, civilis obſequii cauſſa Julianum ſequutus, & delubrum Fortunae ingreſſus, in cujus aditu aeditui luſtrali aqua accedentes purgabant, conſpiciens clamydem ſuam aqua adſperſam aedituum percuſſit, μεμολύνθαι φήσας, οὐ κεκαθάρθαι, *inquinatum ſe dicens, non autem purgatum* [3]. Haec, inquam, aliaque id genus largiter coacervare inſtituant, in his ad libidinem jactentur; fuco enim, & colore detracto, nullus hujuſce conatus, laboriſque fructus exſtabit; quandoquidem contra Catholicos nihil exinde colligi, probarique poteſt. Mul-

1 Capitolinus *cap.* XIII.

2 V. Middletonii epiſtolam *cap.* VIII. memoratam *pag.* 154. edit. Gallicae *à Amſterdam* 1744.

3 Theodoretus *lib.* III. *cap.* XVI. Hanc Juliani fraudem in Chriſtianos milites perſtringit Gregorius Nazianzenus in priori invectiva.

Multiplex quidem,ac tutiſſima hujus tam crebro,& confidenter iteratae expoſtulationis, quae ad ſummam pura, putaque fallacia conſtat, penitus convellendae ſuppetit via. Atque illud primum ipſo in limine obſervari par eſt, ecquid ſit, quo verum ſuperſtitionis crimen conſtituitur, ac deſignatur: *omnis enim. quae a ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur*[1]. Superſtitio itaque, ſi ſapimus, non in ſimplici, & externo quarumdam naturalium rerum exercitio, uſuque poſita eſt, ſed pendet ab indebito, pravoque fine, quem homo inter agendum animo intendit. Multa quippe ſunt, quae votis ſolvendis, pietatique erga Deum teſtificandae deſtinamus, quae ſuapte natura nec boni, nec mali rationem habent, ſed alterutram a propoſito accipiunt. Sic corporis purificatio, & aquae adſperſio civiles quaedam actiones ſunt, quae per ſe ſe merito, aeque ac ſuperſtitione, vacant, niſi quid aliud ſpectet animus. Aeditui porro, & ſacrificuli ſive M. Antonini, ſive Juliani quoniam vanis, perverſiſque opinionibus imbuti illas praeſtabant, atque ad fictitios, & execrabiles Deos referebant, nequiſſimo ſe adſtringebant ſcelere. Contra Chriſtiani quum honeſtiſſimum, ſanctiſſimumque aliquid recta mente complexum habeant, dum his utuntur, unumque aeternum, & verum Deum ſuſpiciant, integri, ac puri ſceleris dicendi ſunt. Non itaque caeco impetu ab Aenea uſque notiſſima luſtrationum exempla repetenda, & cum Chriſtianis temere componenda, ſed ſpectandum in his, quid ſit ultimum, quid extremum, quo agentis, utentiſque conſilia referuntur. Quoniamque alius omnino nobis, ac Ethnicis, propoſitus eſt finis, diverſa pariter agendi ratio eſt. Atqui ſi diſcrepant, diſtantque voluntates, illo certe ſuperſtitionis vitio nequaquam tenemur, cujus Ethnici in ſuis luſtrationibus merito coarguuntur. Probe id noverat, dudumque perſpexerat magnus Auguſtinus, qui Novatorum argumento, quod totum ex Manichaeorum doctrina expreſ-

1 Cicero *Offic. in proem.*

Digitized by Google

preſſum eſt ita occurrit in lib. xx. contra Fauſtum cap. xxiii. *Anathema ſit Manichaeus in Fauſto, qui dicit, nihil nos mutaſſe de moribus Gentium, neſciens quid loquatur. .... Qui enim aliud credit, aliud ſperat, aliud amat, neceſſe eſt, ut aliter vivat. Et ſi uſus quarumdam rerum ſimilis videtur nobis eſſe cum Gentibus, ſicuti cibi, potus, LAVACRORUM &c. longe aliter his rebus utitur, qui ad alium finem uſum earum refert.* Jam ex recitatis Auguſtini verbis, totaque noſtra diſcuſſione illud exiſtit, veteres Chriſtianos, ipſumque Valentinianum expiationes Gentilium merito fuiſſe execratos, ſed hoc noſtrorum rituum ſanctimoniae nequaquam poſſe detrahere.

Si vero ab Eccleſia Chriſti eliminandum, abigendumque eſt, quidquid olim Paganis uſitatum fuerat, novum mihi enaſcitur argumentum, quo perſpicue, planeque efficitur, aut omnia pietatis officia de medio eſſe tollenda, aut ipſos Haereticos, noſtrarum conſuetudinum cenſores, ejuſdem ſuperſtitionis, cujus nos inſimulant, participes eſſe, atque conſortes. Nam quid ab homine praeſtari umquam poterit, cujus aliqua ſimilitudo in moribus Ethnicorum non reperiatur? Et ſi haec una ratio valeret, ergo nec templa, nec aras, nec ſacrificia, nec ſacerdotes habere licebit, nec feſtos colere dies, nec precationes peragere, neque etiam quempiam baptizare, quandoquidem nihil iſtorum eſt, quod ab Ethnicis non ſit factitatum. Diminuant, quantum volent, Novatores caeremoniarum numerum, nihil in Dei cultu quaerant, affectentque, niſi Apoſtolicae Eccleſiae ſimplicitatem; eoſdemet pauciſſimos, & puriſſimos ritus, quos pro legitimis habent, a Gentilibus aliquando uſurpatos, & ſuperſtitione corruptos pronum cuivis erit demonſtrare. Suo igitur ſe jugulant gladio, & noxam, quam nobis inconſiderate imputant, a ſe ipſis demoliri, ac depellere ſimiliter tenentur. O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, & calliditatem facile ſe per ſe ipſa defendit! Aut ergo publicum quodcumque cultus exercitium abjiciant, quo ſublato (Calvino, Brentio, Cheimnitio fatentibus), religionem

ſuis

ſuis nervis diſſolvi, deformari, diſſiparique neceſſe eſt, aut nos iniqua actione divexare deſiſtant. Sed rabidos, furenteſque caeremoniarum vituperatores eſt hic, cur aliis quoque nominibus refellendos exiſtimem.

Gregorius Papa, cui *Magni* cognomen praeclara facta indiderunt, in epiſtola ad Mellitum Abbatem, quum monita, ac conſilia prudentiae pleniſſima daret ab Auguſtino Anglorum Epiſcopo prae oculis habenda, ut gens illa ex erroribus expeditius emergeret, & ad fidem facilius capeſſendam converteretur, ita ſcripſit. *Quum vero Deus omnipotens ad reverendiſſimum virum Fratrem noſtrum Auguſtinum Epiſcopum perduxerit, dicite, quod diu mecum de cauſſa Anglorum cogitans tractavi, videlicet, quia fana Idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant, ſed ipſa, quae in eis ſunt, Idola deſtruantur. AQVA BENEDICTA fiat, in eiſdem fanis adſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiae ponantur: quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut a cultu Daemonum in obſequium veri Dei debeant commutari. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere impoſſibile eſſe, non dubium eſt, quia is, qui locum ſummum aſcendere nititur, neceſſe eſt, ut gradibus, vel paſſibus, non autem ſaltibus elevetur* [1]. Quid hic, obſecro, Gregorius inculcat, niſi moderatam agendi rationem, cujus in divinis litteris, ſacriſque ſcriptoribus (ut mox dicam) ſplendidiſſima exſtabant veſtigia, ac documenta? Fuit nihiloſecius maledicus Ephemeridum deſcriptor, qui illiberali, petulanti, flagitioſo jocandi genere potius, quam ſtudio veritatis delectatus omnibus conviciis, ac maledictis ſanctiſſimum Pontificem laceſſivit, atque ex Gregorii epiſtola apparere dixit: *Eccleſiam paganam tum eſſe factam, ſi minus ingenio ſuo, & praejudicatis opinionibus, certe iniqua quadam aſtutia, & compendii, utilitatiſque cauſſa* [2]. Miraris? Atqui tale illud eſt, ut niſi mens laeva

1 *Epiſtolar. Regiſtr. lib.* IX. *ep.* LXXI.

2 *Nouvelle Bibliotheque, ou hiſtoire Litteraire des principaux Ecrits, qui ſe publient. Tom.* XI. *Fevrier* 1742 *article* I. *à l'Haye* 1742. Is, ut Middletonii, & aliorum ſuae ſectae ſcriptorum opinionem firmaret, qui Chriſtianorum religionem à Gregorii temporibus omni ſuperſtitione, Ethnicarumque caeremoniarum uſu corruptam dixere, *pagina* 188. recitat Gregorii epiſto-

laeva fuiſſet, Chriſtianum hominem tam nefarii dicterii pudere debuiſſet. Age igitur, argumentationem homunculi hujus expendamus. Qua ratione pagana facta eſt Eccleſia, ſi omnia ſimulacra, ſignaque, impurae religionis teſtimonia, nulloque expianda purgamine everti, conteri, deſtrui Gregorius mandavit? At delubra vetuit diſturbari, & celebritates adhuc peragi ſuſtinuit. Recte eſt. Quid inde, ſi illa piari juſſit aqua conſecrata, quod ipſa rei natura, & conditio patiebatur; iſtis autem correctionem adhibuit, immutatoque fine, & ſublata ritus ſuperſtitione, ad Dei laudem recolendam traduxit? An non hoc ipſum fuerant complexi, tutatique conſilium Patres concilii Epaunenſis an. DXVII. can. XXXIII., qui licet baſilicas ab Arianis ad conventus habendos conſecratas deſpiciendas edixiſſent, ne cum tam nefaria ſecta viderentur utcumque communicare; caeteras tamen conſuetis caeremoniis purgari, conſecrarique ſtatuerunt [1]? Ac ne tergiverſationi relinquatur locus, producen-

epiſtolam, tum his impudentiſſimis, ſceleſtiſque verbis concludit. *Le but de cette Egliſe a été de rendre ſon culte agreable aux Payens, le rendant plus conforme a leurs uſages ſuperſtitieux . . . Quand elle ne s' eſt pas montrée payenne par gout, ou par prejugé, elle a taché de le paraitre par politique, & par interet.*

a Subdifficilis in hoc Canone nodus extitit, ad quem ſolvendum res paullo altius revocanda, atque ex juris Pontificii libris imprimis repetenda. Eccleſias ab Arianis conſecratas iterum a Romanis Pontificibus ſacrari conſueviſſe, perſpicue traditur in *Canone* 20. *Eccleſiis*; *Can.* 21. *Eccleſias Arianorum*; itemque *Can.* 23. *Agapitus de Conſecratione Diſtinct.* 1. Quibus docemur, id praeſertim egiſſe Johannem I., & Agapitum PP. Rurſus Gregorius M. *Dialog. lib.* III. *cap.* 30. narrat, Baſilicam s. Agathae, in Suburra ab Arianis primum conſecratam, ſe iterum verbis ſollemnibus, atque ad religionem compoſitis conſecraſſe. Cauſſam novae conſecrationis peragendae commemorat Gloſſa *ad Can.* 20. & 21. *de Conſecr. Diſt.* 1., quia nempe *quidam Arianorum faciebant Sacramenta in forma Eccleſiae, quidam non.* Habes hinc evidentiſſime, ni fallor, cur Patres Concilii Epaunenſis baſilicas Haereticorum ſanctis uſibus addici deſpicerent, de quibus merito dubitari poterat, num rite, & valide fuiſſent conſecratae; imo vero illas ſapientiſſime dixerant *inexpurgabili pollutione* foedatas, quandoquidem per ſacramenta in forma Eccleſiae nequaquam peracta Deo dicatas fuiſſe verebantur. Non ita plane ſtatuerunt de templis Catholicorum ab Arianis *per violentiam* occupatis, quae olim rite conſecrata non dubitabant, quaeque proinde mera expiatione egebant, ut iterum rei divinae faciendae deſtinarentur. At inquies, Haereſis ne Idololatria pejor, & deteſtabilior, ut fana, & delubra Ethnicorum inemundabili ſacrorum execrandorum turpitudine inquinata poſſent divino cultui dedicari, ſecus Arianorum baſilicae? Perfacilis, & paratiſſima reſponſio. Nam illi Galliae Narbonenſis Epiſcopi Haereticorum baſilicas iterum ſacrari non poſſe, minime dixerunt; ſed quoniam permulta in ea Provincia erant polluta templa, alia nempe ab Arianis extructa, alia occupata; illa *deſpicienda*, & praetermittenda juſſerunt, ut flagitioſos hoſce homines, poſt itera-

ducendus Auguſtinus Hipponenſis, qui exquiſita, & luculenta oratione cauſſam dirimit, & Gregorii conſilium a quovis vindicat naevo. Epiſtola ſiquidem ad Publicolam XLVII. alias CLIV. ita rectiſſime monuit. *Quum templa, idola, luci, & ſi quid hujuſmodi .... in honorem veri Dei convertuntur, hoc de illis fit, quod de hominibus, quum de ſacrilegis, & impiis in veram religionem mutantur* [1]. Num hic ulla calliditas, aut perverſa proficiendi induſtria? Quod ſi verſutiae, & aviditatis inſimulandus Gregorius, eadem in culpa fuiſſe dicendum eſſet ſive Moyſen, quum ex auro, argento, aereque Aegyptiorum tot ſuperſtitioſis uſibus polluto, ſanctuarium Domino fabricavit [2]; ſive Joſue, quum ablata ex Hiericho profana, & impura vaſa in Domini aerarium conſecravit [3]; ſive Gedeonem, quum ex opimis, & pene ſacrilegis Madianitarum ſpoliis *Ephod* compoſuit [4]. At nemo, niſi qui omnem abjecerit religionem, hanc notam ſanctiſſimis illis viris audebit inurere; nemo inficias ibit, illos non humanis conſiliis, ſed ductu, atque numine divino inſtinctos gentium alienigenarum, & infidelium ſupellectilem, impio Deorum cultu contaminatam, *igne, vel aqua expiationis purgatam* [5], in ſacerrimos tranſtuliſſe uſus. Cur ergo non licuit Gregorio, quae ſuperſtitioſo ritu peragi videbat, eadem ſacris caeremoniis expiata ad divinum cultum revocare, ut majori Diaboli contumelia, qui his coli volebat, Chriſtus adoraretur? Fecit ergo, quod jura divina, & majorum exempla poſcebant.

iteratam damnationem adhuc contumaces, inſidias, fraudeſque adhuc molientes, a cujuſquemodi cum Catholicis communione prohiberent, iſtaec vero expianda eſſe ſanxerunt; quo ſatis populorum commodo erat proviſum. Verum in Anglia, quum omnia omnino fana ob idololatriam, quae popularium animos late pervaſerat, Diis Gentium eſſent ſacra, nec nova tam facile ab Auguſtino condi poſſent, prudenter Gregorius auctor illi fuit, ne everteret, ſed a cultu Daemonum in cultum veri Dei commutaret, quemadmodum primis Chriſtiani nominis temporibus a ſanctiſſimis Epiſcopis paſſim factum compererat.

1 Ne dubites, Gregorio Auguſtinum adverſari, quod ille idola *deſtrui* debere, hic vero *in laudem Dei converti* dixerit. Converti enim ſimulacra haud poterant, niſi metallum, quo conſtabant, liquaretur, atque ſupellectili ſacrae fabricandae impenderetur, quod perinde eſt, ac illa omnino deſtrui.

2 *Exodi* XXV.

3 *Joſue* VI.

4 *Judicum* VIII.

5 *Numer.* XXXI.

Ad extremum illud adjungimus, acta a Gregorio cum geſtis Paulli Apoſtoli oppido conſentire. Nam ſi Anglorum imbecillitati aliquid ab Auguſtino parcendum eſſe volebât, noverat, idipſum praeſtitum fuiſſe ab illo divinae electionis vaſe, qui Athenis aram ignoto Deo ſacram haud evertit, ſed exinde mira quadam prudentia aptiſſimam veritatis denunciandae occaſionem arripuit [1]: quo ſane nos edocuit, ut *in gentilibus, Idolorumque cultoribus, quod pravum eſt, corrigamus, ut quod forte rectum eſt, approbemus* [2], ne, dum in Evangelii lucem eos conamur adducere, majora illis praetendamus offendicula. Nihil proinde tantum abeſt a vero, nihil tam calumnioſe eſt dictum, quam quod Genevenſis miniſter Turretinus effutivit, jam a ſaeculo IV. *Eccleſiae ſtatum Ethnicarum aemulatione caeremoniarum non parum fuiſſe foedatum* [3]. Nam ne dicam, foeditatem nullam eſſe potuiſſe, ubi nihil pravi, vitiatique in Eccleſiam importatum, ſed omnia ſuperſtitione, ſi qua erat, expoliabantur; duo potiſſimum ſunt, quae Turretinum aut totius negotii, & religionum ignarum, aut in rebus noſtris recenſendis malilignum produnt. Primum quidem certiſſimum illud eſt, multa apud Chriſtianos, inconſultis prorſus Paganis, invaluiſſe, atque ex communi quadam rerum idea, quae naturae lumine omnium mentibus eſt informata, enata fuiſſe. Sic mundos eſſe oportere, qui Deos adeunt, non ex Ethnicorum theologumenis condiſcimus, ſed ex inſita animis praeſtantiſſimi Numinis notione, qua illum caſte, pureque coli debere perſentiſcimus. Ideoque, quum proprium, aptumque munditiei ſignum ſit actio illa, qua res communiter emaculantur, lavationum uſum in ſacris nationes omnes, etſi variis religionibus imbutas, conſtanter retinuiſſe conſpicimus [4]. Haec igitur caeremonia (quod de pluribus aliis oſtendi poſſet, ſi haec praecipiendi tempus eſſet) nequa-

1 Conſule S. Auguſtinum contra Petilianum *de unico baptiſmo cap.* V. *opp. tom.* IX. *Pariſiis* 1688. Rurſum Nicephorum Calliſtum *Hiſtor. Eccleſ. lib.* XIV. *cap.* XIX. *Lutetiae* 1630.

2 Eodem *lib. cap.* IV.

3 *Compendium Hiſtoriae Eccleſiaſticae in fin. ſaec.* IV. *Halae Magdeburg.* 1750.

4 Huetius *In Demonſtratione Evangelica. Propoſit.* IV, *cap.* XI. *Pariſiis* 1690.

quaquam *aemulatione Ethnicarum* invecta . Si vero nihil a noſtris actum eſſe velimus, in quo non veterum mores imitarentur , atque eorum inſtituta non exprimerent , multo facilius (quod erat alterum) Turretini *συκοφαντία* exploditur , noſtrorumque rituum puritas , & commendabilis origo aſſeritur .

Nihil propemodum exſtitiſſe in Ethnicorum religione ad ſuperos , divoſque colendos inſtitutum , quod ab Hebraeis revera non dimanarit , viris doctiſſimis perſuaſum fuiſſe ſcimus . Sunt ex hoc numero Spencerus [1] , Huetius [2] , Carmelus [3] , qui rectiſſime de ea re judicaſſe cenſendi ſunt . Nam Idololatriae primordia apud Graecos , a quibus ad Romanos certe profluxit , inquirentibus nobis veriſſimum illud Voſſii effatum videri debet : ab Aegypto , & Phoenicia Graeciam ſuperſtitione eſſe completam [4] . Verum ſive in Aegyptum , ſive in Phoeniciam nonniſi veri Dei cultum , puramque religionem primitus intulerat Cham , qui in ſortitione hujus adſpectabilis univerſitatis priorem illam ampliſſimam regionem , referente Hieronymo [5] , Bocharto [6] , Marshamo [7] , obtinuit , tum in altera , Sanchoniatone auctore [8] , ſumma rerum potitus eſt . Vtrobique delatus a Chamo cultus aliquandiu incorruptus , & incontaminatus perduravit , donec humanarum mentium pravitate , & inferni veteratoris invidia in Idololatriam eſt revolutus , & quae ſupremo , unique rerum omnium conditori debebatur obſervantia , mutis animalibus , vanis ſimulacris , rebuſque creatis coepit exhiberi . Ergo quum religio ab Aegyptiis , & Phoenicibus ad caeteras migravit terras , quamvis jam eſſet iniquis opinionibus depravata , ab Hebraeis tamen veri Dei cultoribus ſua origine erat profecta ; ut caeremoniae , quae falſis numinibus colendis , ſacriſque obeundis impendebantur ,

1 *De Legibus Ritualibus Hebraeorum* .

2 L. C.

3 Storia di varj coſtumi ſacri , e profani del P. Carmeli PP. nell' Univerſità di Padova *tom.* 1. *cap.* 11 *Padova* 1750.

4 De Origin. Idololatriae *lib.* 1. *cap.* xx11. Amſtelod. 1700.

5 *Quaeſt. in Gener.*

6 *Phaleg.* , *&* *Canaan lib.* iv. *cap.* 1. *Lugduni Batavorum* 1692.

7 *Chronicus Canon ſaec.* 1. *Londini* 1672.

8 V. Lucae Antonii Floridi *Diſſertazioni Iſtoriche* , *Geografiche* , *Critiche* . *Diſſert.* iv. *Napoli* 1741.

tur, ex Hebraeorum diſciplina effluxerint. Ac ne longius de curſu digredi videamur, id praecipue de luſtrationibus eſſe dicendum obſervavit Tertullianus, cujus verba, quoniam orationem plurimum illuſtrant, praeterire nullo modo poſſum. Is itaque *de Praeſcriptionibus Haereticorum cap.* XL. quaerens, unde in falſa religione manarint tot ritus, noſtris aſſimiles, inquit: *a Diabolo ſcilicet, cujus ſunt partes invertendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum divinorum in Idolorum myſteriis aemulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, utique credentes, & fideles ſuos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, &, ſi adhuc initiat Mithrae, ſignat illic in fronte ſuos milites; celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Caeterum ſi Numae Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſte Diabolus moroſitatem illam JUDAICAE LEGIS imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam aemulanter affectavit exprimere in negotiis Idololatriae, utique & idem, & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque divinarum rerum, & ſanctorum Chriſtianorum ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis profanae, & aemulae fidei attemperare* [a]. Sequitur itaque, Chri-

a Quamvis ſacrilega illa, & ſceleſta MITHRIACA Myſteria a multis, praeſertimque ab illuſtri Adrienſium Antiſtite Phil. a Turre (*Monumenta Veteris Antii Part.* II. *Romae* 1724.) ubertim jam ſint explicata, locus hic certe poſtulat, ut tum Tertulliani verbis declarandis, cum ſuſceptae diſputationi illuſtrandae nequiſſimarum initiationum hiſtoriam paucis perſtringamus. Principio quidem inter putida fabulamenta recenſeri oportere videtur, quod Porphyrius Chriſtianae Reipb. infenſiſſimus ſcripſit, Zoroaſtrem in Perſidis montibus haec myſteria primum inveniſſe. Id ſane cum temporum rationibus minime congruere, ac ſubdole a Porphyrio inventum, demonſtrat Martinius (*Explication de divers monuments ſinguliers. du Dieu Mithras* §. XI.) In antris, atque ſpelaeis ſacra Mithrae fuiſſe conſtanter peracta, praeter profanos ſcriptores, teſtantur Juſtinus contra Tryphonem, Hieronymus ad Laetam, Julius Firmicus Maternus de erroribus profan. Religion. Sed, quod rei caput eſt, Mithricolas, ſive Perſas, ſive Romanos Chriſtiana myſteria ſibi ante oculos figenda, imitandaque propoſuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Nam quae de Chriſto, novoque foedere a Prophetis divino inſtinctu, afflatuque fuerant praenunciata, omniaque propemodum noſtrae religionis dogmata, Sacramenta, ſigna in hiſce Myſteriis perditiſſimo conſilio, & ludicro modo expreſſa. Hinc Baptiſmus, Confirmatio, Eu-

Chriſtianos ab Ethnicis ſuos ritus haud eſſe mutuatos, ſed Ethnicos a Judaicae legis profeſſoribus in ſuos perfidos uſus corrivaſſe: adeoque Catholicos vetuſtiſſimas caeremonias uſurpantes, animumque ad Deum vivum advertentes, illas priori ſuo, & rectiſſimo inſtituto, quo fuerant adinventae, piiſſime reſtituere.

Haec quum eſſent ipſis Haereticis comperta, exploratataque, unum ſibi effugium dari exiſtimarunt, ſi nempe

pe

Eucharistia, Poenitentia, Martyrium, novae, & immortalis vitae ſpes a Mithrae Sacerdotibus ſuis initiandis propoſita, ac ſimulate tradita; atque in his arcana quaedam diſciplina ſtudioſe retenta. Natalis invicti Mithrae ab illis celebratus VIII. kalendas Januarii, ut ex Bucheriano kalendario patet; quo nempe die naſcentis Chriſti anniverſaria recordatio omnibus ſacrificiis a nobis agitur. Perſpicue, lateque deſcripta ſunt haec non modo a Tertulliano, Juſtino, & Firmico pluribus in locis, ſed etiam ab Auguſtino *in Joh. cap. 1. tract.* VII. Gregorio Nazianzeno adverſus Julianum, Archelao Epiſcopo Meſopotamiae in diſputatione cum Manete. (V. *Zacagnium collectan. Veter. monument. Eccleſ. G. L. p.* 61. *Romae* 1698.) Nihil jam de formula NAMA SEBESIO Tauris Mithriacis ſaepe inſculpta dicam, in cujus interpretatione tantam opinionum varietatem, ac diſcrepantiam fuiſſe video, & Reineſium, Bulengerum, Turrium, Muratorium, Maffejum, Martinium in diverſa prorſus abire. Illud potius argumenti affinitate quaerendum, num etiam ab Ethnicis noſtri Baptiſmatis imitandi, & *Redemptionis* irridendae ſtudio inſtitutum, praeceptumque fuerit TAVROBOLIVM, CRIOBOLIVMQVE, quo percepto, homines *in aeternum renaſci* dictitabant. Fuere in hac ſententia viri rerum antiquarum peritiſſimi Salmaſius, Seldenus, Reineſius, Montfauconius, Marmorum Taurinenſium interpretes, &, qui in hac re majori cum laude eſt nominandus, Dalenius, quippe qui eam opinionem ex inſtituto defendit, copioſeque exornavit. (*Antonii Van-Dale Diſſertationes antiquitat. illuſtrandis inſervientes. Diſſert.* 1. *Amſtelod.* 1702.) Quibus facile adſtipulamur, modo illud a Reineſio, & Dalenio expungatur, Taurobolici Sacrificii initia ad annum XV. imperii M. Aurelii Antonini eſſe rejicienda. Celeberrimum enim marmor Lugdunenſe, hoc ipſo vertente ſaeculo erudératum, & a Clariſſimo Groſſeo de Boze eximio commentariolo illuſtratum (*Explication d'une inſcription antique trouvée depuis peu à Lyon. &c. à Paris* 1705.) plane, evidenterque evincit, Taurobolicrum aetatem quindecim annis majorem dici debere. Atqui Laurentius Moshemius in Diſſert. *de ſtudio Ethnicorum Chriſtianos imitandi* (*Diſſert. Volum.* 1. *Altonaviae* 1743.) falli eos opinatur, qui in ejuſmodi ſacrificiis Chriſtianae religionis imitationem quaerunt duobus tamen prorſus frivolis argumentis. Primo enim ait, ſe haud intelligere, cur Romani hanc commentitiam expiationem a Chriſtianis ſumptam uni Cybelae ſingillatim dedicare debuerint, quum alia non deeſſent Numina, cui majori jure conſecrare potuiſſent. Verum erat ne aliud praeſtantius Numen prae una Ope, quae omnium Deorum mater, & genitrix fingebatur, quaeque DIA meditato dicebatur, ut illius θεία οὐσία, & excellentior quaedam ſupra caeteros Deos natura, ac dignitas ὑπερφυῶς intelligeretur? Addit, vix ſibi perſuaderi poſſe, Romanis licuiſſe, *Sacra Peregrina* ex Phrygia delata novis caeremoniis augere, & amplificare. Sed primum erat docendum, quibus ritibus Magnae Matris Attidiſque myſteria Romani auxerint; deinde ajo, eo ipſo jure, quo Sacra Peregrina urbe fuerant excepta, potuiſſe Sacerdotum monitis, ac dictatis attemperari, & ad novas populo nectendas fraudes rerum Chriſtianarum ſimilitudine amplificari. Quare de hoc ſatis. Interea vero tota iſta oratione illud certo efficitur, falſae religionis cultores in id ſemper incubuiſſe, ut quae in vera, & divinitus inſpirata exerceri viderent, imitari conarentur.

Digitized by Google

pe quidquid ab antiquae legis caeremoniis profectum, ductumque eſt, tamquam abrogatum, proſcriptum, & feliciſſimo Chriſti adventu exſtinctum affirmarent. Id quo facilius perſuadeant, caeremonias in Eccleſiaſtica Judaeorum politia uſitatas nil aliud fuiſſe ajunt, niſi typicas rerum futurarum adumbrationes. Quid vero magis indecorum, quam, praeſente veritate, & figurarum complemento palam exſtante, evanidas umbras revocare? Illud praeterea nobis vitio dant, quaſi ſublatae duriſſimae ſervitutis jugo populos iterum ſubjiciamus, libertatemque Chriſtianae Reipb. aſſertam caeremoniarum copia, ac varietate oppugnare, ac opprimere aggrediamur: quo unice pertinere putant, aut fingunt locum Paullinae Epiſtolae ad Galatas cap.v. verſ.1. Hoc poſtquam Brentius in *Confeſſione Wittembergenſi* cap. ultimo, quod eſt de caeremoniis, magnificis verbis exaggeravit, in eamdem regulam conſpirarunt commentitiae *Reformationis* fautores. Valde ſe in ea jactat, Anglus Theologus, Richardus Holdſwortius *Praelectionum Theologicar. lect.* XXI. [1], ubi, nova a ſe excogitata rerum partitione, tres diſtinguens Chriſtianae libertatis gradus illorum poſtremum *a caeremoniis, & ritibus* eſſe contendit, *ut nulla ſit in rebus adiaphoris religio collocanda*. Vtque ſuae doctrinae ſectatores praemuniat, Catholicos in invidiam adducere ſatagit, & falſae interpretationis ſic apud illos accuſat. *Quod dictum eſt de liberatione a ritibus legalibus, ad liberationem trahunt a praeceptis moralibus, inter corpus, & umbram non diſcernentes*. Eo ferme recidit Pſeudo=Epiſcopi Vintonienſis Joh. Prideauxii [2], Batavi Theologi Petri Van-Maſtrichii [3], Chriſtophori Matthaei Pfaffii Tubingenſis Profeſſoris [4] oratio. Sed quae illi de caeremoniis indiſcriminatim dixere, ſignate de luſtrationibus affirmavit Jo. Franciſcus Buddeus in priori exercitatione *de Ritibus Eccleſiae Lati-*

1 *Londini* 1661.

2 *Opera Theologica. Orat. de Judaeorum vocatione num. 3. Tiguri* 1672.

3 *Theologia Theoretico-Practica lib.* v. *cap.* VI. *de Mediatore Propheta. Trajecti* 1724.

4 *De abrogatione legis caeremonialis. Tubingae* 1725.

Latinae Judaicis [1], in qua ſcribit, Romanenſes aquam luſtricam conſecrantes id ipſum praeſtare, *quod Iſraelitis olim de cineribus vaccae rufae aqua commiſcendis ad ſordes expurgandas divinitus eſt praeceptum*. Quae fuerint Hebraeorum aſpergilla, quaeve vaſa in hoc negotio uſitata, ex Maimonide, & Miſchna Maſſechet diſtincte recitat; &, quod ſordidiſſimi, furentiſque animi eſt, probris omnibus, ac contumeliis de trivio, aut de popina hauſtis Catholicos onerat: ait quippe, illos hac in re *temere, inconſulte, intempeſtiva credulitate, praecipitantia, & impetu agere, divina jura humanis miſcere, amabili inſania, & imprudenti temeritate teneri*. Vt vero ſolidi aliquid in ſpeciem ſaltem, aptumque ad perſuadendum proferret, ita decretorie ſtatuit. *Tum eo confutantur Romanae Sedis aſſertores, quod antequam Chriſtianorum cultus Pontificum placita reciperet, Judaei ſedibus ſuis expulſi majorum mores, patriaſque conſuetudines neglexerunt* [2].

Congrediendum igitur cum praecellentiſſimis hiſce reformatae ſcholae δαφρφορόις Theologis, eorumque ſive imperitia, ſive perverſitas retegenda. Ac certe nullus hominum inficiabitur, veterem legem παιδαγωγίαν quamdam fuiſſe; atque id ſatis perſpectum habebamus ex Auguſtino [3], Cyrillo Alex. [4], Chryſoſtomo [5], quin profani magiſtelli id, de quo nulla eſt controverſia, tantopere inculcarent. Itaque Moyſen Judaeis, tamquam infantibus ſibi ad erudiendum contraditis, nonniſi elementa rerum aliquando futurarum in rituum diſciplina aperuiſſe, fatemur, quemadmodum.

> .... *pueris dant cruſtula blandi*
> *Doctores, elementa velint ut diſcere prima.*

Sed diſtinguendum neceſſario eſt, aliud fuiſſe myſteriorum novae legis figuras, & adumbrationes per certas caeremonias, religioneſque expreſſas, aliud adjuncta, quibus ipſae reli-

1 *Parerga Hiſtorico-Theologica de Ritib.* §. VII. *Halae Magdeburgicae* 1703.
2 §. I.
3 *De Civ. Dei lib.* x. *cap.* XIV.
4 *In Johan. lib.* x.
5 *Homil.* IV. *in Epiſt. ad Coloſſ.*

religiones, & caeremoniae ad ornatum, ſplendoremque conveſtiebantur. Merae Sacramentorum praenunciae imagines exſtiterunt ſacerdotium filiorum Aaron, agni, vitulique mactatio, panes propoſitionis, circumciſio &c: quae omnia profecto elapſus de coelo Deus, mortalemque induens formam in ſe uno conſummavit, atque adimplevit. Impius plane ſit, qui poſt novam a Chriſto fundatam Eccleſiam quidquam illorum velit tueri, eiſque adhaereſcere. Linquenda Cerintho, & Ebioni haec deliratio, qui *Legalium* obſervantiam aeternae ſaluti adipiſcendae in novo foedere adhuc neceſſariam praedicabant [1]. Secus tamen aeſtimandum de ritibus, eorumque externo apparatu, quo typica illa ſacra peragebantur. Nam quum eae caeremoniae per ſe novi Teſtamenti myſteria non proſpectarent, ſed tantummodo ad majeſtatem ſacrorum augendam, animiſque adſtantium ingerendam reverentiam adhiberentur, ſublatis, evacuatiſque figuris, poſſunt citra quodcumque ſcelus, conſociari cum his, quae ſunt figurarum complementa, quaeque tanto majorem in agendo dignitatem, ſollemnitatemque poſtulant, quanto illis & veritate, & gratia antecellunt. „ Quid igitur abſurdi poteſt eſſe, (inquit piiſ-
„ ſimus Argonenſis [2]) ſi qua intereſſe videtur inter Ju-
„ daeorum, & Chriſtianorum caeremonias ſimilitudo? Si
„ noſtri ſacerdotes in veſtibus veteres quodammodo ae-
„ mulentur, ſi nobis minores adminiſtri ſint, Cantores,
„ Oſtiarii &c, ut priſca Hebraeorum aetate? Si Eccleſia ad
„ illos inſtituendos *χειροτονίαν* ſimiliter adhibeat? Si Chri-
ſtia-

1 De Cerintho teſtantur Epiphanius *Haeref.* XXVIII. Auguſtinus *Haereſ.* IX. Philaſtrius *Haereſ.* XXXVIII. Nec certe aſſentiendum Georgio Bullo, qui in *Defenſione Fidei Nicaenae Sect.* III. *cap.* I. §. 7. *Londini* 1703. demonſtrare conatur, Cerinthum non ex animo id Moſaicae Legi conceſſiſſe, ſed ſimulate tantum, ut Judaeorum vitaret invidiam. Aliud omnino fuit de hac re veterum Patrum judicium. In eadem haereſi Hebionem fuiſſe, perhibent Tertullianus *de Praeſcript. cap.* XXXIV. & Theodoretus *Haeretic. fabular lib.* II. *cap.* I.

2 Natalis Argonenſis Cauſidicus olim Pariſienſis, deinde in Carthuſianos Monachos adſcitus Gallice edidit an. 1688. eximium opus *De optima legendorum Patrum methodo*, quod latinitate donavit meus contertaneus, idemque praeſtantiſſimus Theologus, Johannes Franciſcus Reinerius, Ampliſſimi, & tum ſolida pietate, cum ſanctiori doctrina vere Eminentiſſimi CARDINALIS DE LANCEIS a cognitionibus. Excerpſimus, quae ſequuntur, *ex Parte* III. *cap.* XVIII. *Auguſtae Taurinorum* 1742.

„ ſtiani eadem, qua Judaei, ratione certum tempus ſacri- „ ficiis, precationibuſque aſſignaverint „? Si vigiliis, ſi jejuniis, ſi thymiamate, ſi lucernis, ſi candelabris utantur? Nihil inquam in his abſurdi erit. „ Quum enim una ſit, „ eademque Chriſtianae, & Judaicae religionis natura, „ unuſque finis, nempe cultus Deo debitus, nil mirum, ſi „ res ad id aptiſſimas Eccleſia in proprium uſum transfe- „ rens ſanctas reddit, atque perfectas „. Nihil vero in his illa retinet, quod non ſiguras, imagines, adumbrationes undique expletas oſtendat. Ex his conſectarium illud eſt, quo Holdſwortianae doctrinae fucus, & verſutia depellitur, *libertatem* ſcilicet per Chriſtum hominibus partam ab hoc caeremoniarum genere minime fuiſſe, ſed a *Legalibus emortuis, & mortiferis*, aut a ritibus cum illis ita conjunctis, ut *Legalia* perficerent, adeoque putidam impoſturam Angli hominis eſſe, *nos trahere liberationem a ritibus ad liberationem a praeceptis moralibus*: quae duo nemo unus Theologorum tam imperite inter ſe uſpiam confudit, ac permutavit. Tandem licet caeremonias res adiaphoras aliquotſariam appellari poſſe, neque in his religionis noſtrae ſummam poſitam eſſe non negaverim; falſum attamen eſt, nullam in illis religionem eſſe collocandam; quandoquidem inſtrumenta ſunt, quibus noſtram in ſupremum numen obſervantiam prodimus, humiles animi ſenſus patefacimus, debitoque illi cultui, (qui totus internus haud poteſt eſſe, nec umquam fuit) reverenter vacamus. Vberius, ac felicius haec diſſeruntur a Johanne Cochlaeo [1], Martino Piſtorio [2], Joh. Fileſaco [3], aliiſque noſtrarum rerum συνηγόροις. Certiſſimum interim illud exiſtit, ſententia Holdſwortii exploſa, ac refutata, ex toto concidere ſive Prideauxii, ſive Maſtrichii, ſive Pfaffii argumenta, uno coenoſo ex fonte hauſta, quippe quae, ſi texturae varietatem, & diverſam φράσιν demas, eodem omnia perpetuum revolvantur.

 Re-

1 *Defenſio Caeremoniarum. Ingolſtadii* 1544.

2 *Colloquia adverſus caeremoniarum oppreſſores. Lutetiae* 1643.

3 *De caeremoniis* §. 17. *Inter illius ſelecta. Pariſiis* 1621.

Relinquitur ergo, ut ad luſtrationes ſingillatim veniamus, & Buddei excutiamus argumenta; ſi hoc quidem nomine appellanda ſunt nuda verba, nullo connexu ratiocinationis ligata, plenaque futilitatis. Quaeſo te, Buddee, ecquid umquam negotii Catholicis faceſſere poteris, etiamſi *Aquae Benedictae* legales illas aquas, quibus mactatae vitulae cinis affundebatur, praeluſiſſe noſtri conceſſerint? Nulla profecto *Judaiſmi* nota, ubi nulla animalium immolatio, neque uſtulatae victimae reliquiae ad aquam ſanctificandam collectae. Imo vero, quum illam, nonniſi invocato Chriſti nomine (qui omnes in ſe uno conſummavit, repraeſentavitque hoſtias), & ſaluberrimae crucis illius ſigno conſecrari credamus, evacuata in ea eſt priſci myſterii adumbratio. Quocirca tota Moſaicae, & Evangelicae luſtrationis ſimilitudo in eo erit poſita, quod ad ſordium emundationem utraque ſit inſtituta. Sed quanto diſtent diſcrimine ex ipſa temporum conditione perſpici poteſt: *σκιὰν γὰρ ἔχων ὁ νόμος τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων, umbram enim habebat lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum* [1]; ideoque ſacra Hebraeorum, ut paſſim ab Auguſtino dictum eſt [2], Chriſtianorum fuerant praenunciativa, veramque emundationem promittebant, non dabant, futuram protendebant, non reapſe praeſtabant. Quare in Evangelicis luſtrationibus id tandem conſequimur, quod Judaicae pollicebantur. Ergo ne Buddeus eum excludet ritum, qui Moſaicam mire, planeque perficit praeſagitionem? Si vero Judaei antiquas ſuas deſeruere conſuetudines, priuſquam Eccleſiaſtica politia numeris omnibus evaderet abſoluta, ſuorumque Pontificum placita reciperet; quodnam argumenti genus ad caeremonias confutandas elici exinde queat, nemo hominum augurabitur, niſi ipſe Buddeus, qui ſolus ſua dicta capit. Non enim ea a nobis probari debent, & velut *rerum futurarum praenunciativa* haberi, quae recentiores Judaei factita-

1 *Epiſt. ad Hebraeos. cap.* x.

2 *In Pſalm.* LXXIV. *contra Fauſtum lib.* XIX. *cap.* XIII. *Tractat. in Johan.* XXI.

ctitarunt. Nam ſeris temporibus multa ex commercio potiſſimum gentis illius cum Graecis in Hebraicam religionem ſunt inducta, quae cum patriis moribus haud cohaerebant, multa etiam Thalmudicorum interpretum errore praetermiſſa, quae fuerant primitus obſervata. Sed deſpicimus inſtituta corruptelis depravata; ea quaerimus, quae optimis Reipb. illius temporibus viguerunt, quae Moyſes, & Aaron Levitis retinenda tradiderunt, & quorum in ſacris litteris mentio injecta divinitus eſt. Quid vero luculentius, & expreſſius conſignatum, quam luſtralis aquae uſus?

Qua in re Haereticorum *ἀντίῤῥησιν* generatim animadverti volo, qua perſpicue erudimur, quam parum eorum inſtitutionibus, doctriniſque ſit fidendum. Catholicae Eccleſiae caeremonias, tanquam novas, a primaeva ſimplicitate alienas, inter ſe ſe diſcordes, & vel ab Ethnicis, vel a Judaeis mutuatas convelli, abigi, averruncari oportere, jam edixerat totus Proteſtantium grex. Qui ad Eccleſiam, ut hi ajunt, repurgandam qua ſcommatis, qua aſperrimis cenſuris, qua furioſo clamore in omnes propemodum ritus involarunt. Mitius tamen nobiſcum eſſe agendum ſtatuit ſecta Arminianorum, ſive *Remonſtrantium*, qui occaſione ſchiſmatis inter eos, & Gomariſtas exorti, celebrataeque ad illud ſedandum Synodi Dordrectanae, ſuam *Confeſſionem*, fideique formulam palam prodidere. Inter hujus factionis patronos, fautoreſque emicuit Simon Epiſcopius Leydenſis Profeſſor, quem nihil, niſi ſodalibus conſentientibus, tum protuliſſe conſtat. Is igitur *Confeſſionis cap.* XXIII. *ſ. 6.*, ubi *obſervationes adiaphoras retinendas* dixit, communi ſententia denunciat, *alia id genus externa, ac per ſe mere ritualia, attamen pia exercitia, non quidem in ſpecie divinitus praeſcripta, ad externam Eccleſiae decoram πολιτείαν utiliter ſpectantia, imo etiam piam devotionem in animis noſtris aliquatenus aut excitantia, aut foventia, eoque non facile per ſe contemnenda, nec ubi publice recepta ſunt, temere, ac cum ſcandalo eſſe abroganda* [1]. Sed ea in

 re lu-

1 Operum Simonis Epiſcopii *tom.* II. *Goudae* 1665.

re ludimagiſtrum deſeruit auditor, & τὸν πολέμαρχον ὁ ἀκόλυθος. Celeberrimus enim inter ſuos Remonſtrantes Theologus Philippus a Limborch *in Theologia Chriſtiana lib.* v. *cap.* LXXIV. §. VII. tantum abeſt, ut ritus non contemnendos, non abrogandos exiſtimet, quod imo *repugnare illos perfectioni Evangelii, & vere pietati non raro noxios* [1] eſſe, audentius doceat. Quum tamen omnem ſe in ſcribendo modum exceſſiſſe cognoſceret, ſequentibus παραγράφοις ſententiam limitat, certiſque conditionibus circumſcribit: quarum praecipuae ſunt, ut caeremoniae cum virtutum officiis conjunctionem habeant, ut tacite praeceptae ſint, ut non ſuſcipiantur, tamquam actus verae pietatis, ſed ſine ulla opinione cultus, aut meriti, libereque exerceantur [2].

Nullius ſane difficultatis, laboriſque eſt hujuſce θεωρίας levitatem patefacere, ac labefactare. Nam primo ſummam, praeſtantemque virtutem eſſe ipſam *Religionem*, nec Limborchius ipſe inficiabitur. Tantam autem cum illa conjunctionem habent caeremoniae, ut religio, docente Auguſtino, his externis ritibus, tamquam ſepimento conſervata feliciter augeſcat, & ſenſibilibus imaginibus expreſſa altius hominum mentibus defixa adhaereſcat, indeque *plus moveat, plus delectet, plus honoretur* [3]. Praeterea quid ſollemnius homini imperatum, quam Deum omni ope, ſtudioque coli oportere? Licet autem religio, ſicuti reliquae virtutes omnes, in animo praecipue poſita ſit, & tum fide, cum charitate inflammari, ſuſtentarique debeat, attamen externis actibus illam perfici, ac manifeſtari par eſt. Vt enim non tam noſtrae mentis conſilio, quam pravis etiam externis operibus offenditur Deus; ita duplici animi, corporiſque actione honoratur, & optimi, verique cultus, commendabiliſque pietatis pars eſt rituum obſervantia. Deinde quum teſtata publice, riteque noſtra in Deum religio illi placere debeat, cur ab hoc devotiſſimi animi exercitio quodcumque meritum excludi poterit?

1 Cap. LXXIV. quod eſt *de operibus mere externis, ac de praeceptis humanis. Theologiae Chriſt. editio noviſſima. Amſtelodami* 1735.

2 §. IX. X. XII. XIV.

3 *Epiſt.* LV. alias CXIX. *ad Januar.* c. XI.

terit ? In eo quidem *juſtificandi* vim non agnoſcimus , quam Sacramentis ineſſe fatemur ; ſed ſunt & alia quaedam caeleſtia beneficia , quibus Deus (ſi ita dici fas eſt) hominem pietatis ardore , & ſacrorum ſtudio de ſe benemerentem muneratur . Ad haec vero adipiſcenda cultus accurationem viam quodammodo nobis ſternere , graviſſima Patrum omnium ſententia fuit . Demum ſi *liberae obſervationis* caeremonias eſſe velimus , quam brevi ad eas exitiales diſſenſiones , contentioneſque relabemur , quibus Eccleſia non ſemel ſe divexatam ingemuit , ac luxit ? Quin imo *confuſio illa* continenter ſubrepet , quae ipſi Limborchio arcenda videbatur [1]. Illis ergo limitationibus tot παράδοξα comminiſcitur , ut ejus potius exceptiones , quam noſtras caeremonias cum Evangelii perfectione pugnare , perſpicuum fiat . Atqui hoc opinionum diſſidio , hac judiciorum inconſtantia , hac voluntatum ἀντιῤῥήσει quo magis ſuam provehere conantur cauſſam , eo dedecus , notamque falſitatis eidem largius adſpergunt . Quare liceat verbis elegantiſſimis S. Hilarii Pictavienſis ad Conſtantium Auguſtum hunce noſtra aetate adeo famigeratum Theologum compellare . *Accidit tibi , quod imperitis aedificatoribus , quibus ſua ſemper diſplicent , accidere ſolet , ut ſemper deſtruas , ut ſemper aedifices ...... Tu his ipſis diſſides , & adverſus tuos hoſtis rebellas . Novis vetera ſubvertis : nova ipſa rurſum innovata emendatione ſcindis : emendata autem iterum emendando condemnas* [2].

Satis igitur iſtorum hominum conſilia mirari haud queo , qui , quum a Patrum judicio tam improbe , vereque abſcedant , traditamque ab illis doctrinam privato ſpiritu audeant interpretari , refingere , perturbare , adhuc in illorum confugiant clientelam , ſuiſque erroribus eoſdem praeſidio eſſe poſſe confidant . Hoc ipſum monet me , ut hoc poſtremo loco doceam , ſacrorum ſcriptorum , fideique noſtrae interpretum teſtimonia , quibus ad Eccleſiaſticas lu-

1 *Loc. cit.* §. xii.
2 *Lib. contra Conſtantium Imperat.* §. xxx. *oper.* edit. Monach. S. Mauri *Pariſiis* 1693.

cas luſtrationes vituperandas utuntur, ab his nequiter depravari. Nullus eſt locus Haereticorum ſermone contritior illo Juſtini Martyris, quem pag. 133. jam attulimus; exinde enim argumentum multo validiſſimum ſumi arbitrantur, quo nos ad incitas redigant, proſternant, perimant. Nam ſi Juſtinus, inquiunt, aquae luſtrationem, adſperſionemque Diaboli inventum in Ethnicorum perniciem excogitatum dixit, quid plura eſt opus, ut intelligamus, nec Chriſtianis communem tum fuiſſe, nec ſine ſummo flagitio a nobis poſſe commendari [1]? Sed quae eſt iſta veſania, ut ſcriptoribus orationem non ſuam affingant, ſibique perſuadeant, poſſe ſe hoc artificio & rebus clariſſimis tenebras obducere, & ſua impune tutari mendacia? Collegis ſuis ita imponant, ſi ingenio adeo hebeti illi ſunt, & rerum ſacrarum inſcientes, ut haec concoquant. Nos calumniam S. Juſtino, aeque ac nobis, conflatam facile contundimus, & argumentationem frugis vacuam, otioſam, improbam evertimus: aſſumptione enim negata, inquit Cicero, nulla concluſio. Negamus autem Juſtini orationem eo ſpectare, quo Haeretici affirmant. Is enim Gentilibus exprobrabat, quod Chriſtianorum lavacrum, & baptiſma a Prophetis praedicatum, Diabolo inſtigante, aemularentur, ut oſtenderet illos, quae noſtra ſunt, ex noſtro penu fruſtra ſubripuiſſe ad auctoritatem, laudemque ſibi in falſa religione infelici quaeſtu conquirendam. An ergo ſacras Chriſtianorum lavationes damnat, & depellit? Nihil minus. Imo eas comprobat, ratas habet, optimoque jure in Eccleſia ſervatas docet. Non enim Ethnicos de latrocinio, pravaque aemulatione poſtulare poterat, niſi exemplar, unde imitatio ſumebatur, valere, & honeſtum, laudeque dignum agnoviſſet. Per mirificam ergo κατάχρησιν Juſtini verba in contrarium rapiunt ſenſum, eiſque ad ſuas mentitiones obtegendas proterve abutuntur.

Prodeat jam Tertullianus, quem ſibi in patronum etiam

1 Baſnagius pag. 67. Middletonius p. 154. Mayerus l. c.

etiam adſciſcunt, ut quam diverſis, ſubdoliſque modis Patres hac in re teſtes excitent, iterum eluceat. Quid habet acutiſſimus iſte Afer? Ridet *cap.* v. *de Baptiſmo* Gentiles, quod *villas, domos, templa, totaſque urbes aſpergimine circumlatae aquae expiant paſſim*. At quae Ethnicis opponebat Tertullianus, eorum expers procul dubio, erat Eccleſia, ajunt Heterodoxi [1]. Rem igitur ab innocentiſſimis veterum Chriſtianorum moribus alienam invehunt qui ejuſmodi approbant expiationes. Belle enimvero, ſi ea omnia, quae in Gentilibus caſtigat Tertullianus, Eccleſiam non habuiſſe concludant! Nam nec ullam baptiſmatis initiationem, criminumque purgationem habuiſſe inferant, neceſſe erit, quum eo ipſo in loco Q. Septimius utrumque in Ethnicorum diſciplina reprehenderit. Ita ex eorum principiis argumentum conficitur ἀντιστρέφον, quod in ipſos rejici poteſt. Sed hoc percurrens dico. Eſt illud multo turpius, & iniquius, quod Tertulliani locum dolo malo detruncatum, ac mutilum proponant, quo integre recitato, ſine mora pateſcet, eum alio prorſus pertinere. Sic ergo ille. *Sed enim nationes extraneae ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum eadem efficacia idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus, aut Mithrae, ipſos etiam Deos ſuos lavationibus efferunt. Caeterum villas, domos, templa, totaſque urbes aſpergimine circumlatae aquae expiant paſſim, certe ludis Apollinaribus, & Eleuſiniis tinguntur. Idque ſe ſe in regenerationem, & impunitatem perjuriorum ſuorum agere praeſumunt. Item penes veteres quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat. Igitur ſi de ſola natura aquae, quod propria materia ſit abluendi, in auſpicia emundationis blandiuntur, quanto id verius aquae praeſtabunt per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum conſtituta eſt? Si religione aquam medicari putant, quae potior religio, quam Dei vivi? Quo agnito, hic quoque ſtudium Diaboli cognoſcimus, res Dei aemulantis; qui & ipſe baptiſmo exercet in ſuis quid ſimi-*

1 Baſnagius *ubi ſupra*.

ſimile. Quis iſta legens non ſtatim perſpiciat, Tertullianum maleſanam noſtrarum expiationum imitationem, quam alibi jam carpſerat [1], hic iterum exagitare? Quod ne ſibi lector ex animo effluere patiatur, ea clauſula utitur: *quo agnito, hic quoque ſtudium Diaboli agnoſcimus, res Dei aemulantis*. Quid ea perſpicuius ad eludendas adverſariorum cavillationes? Sed Afri hominis ingenioſiſſimi argumentationem per partes evolvamus, atque explicemus.

Inter *extraneas nationes* quatuor ille potiſſimum ſugillat. Aegyptios primum adoritur omnis Idololatriae parentes, penes quos maximum numen *Iſis* fuerat, in cultu populari Diis omnibus praelatum [2]. Deinde Perſas nominat, quibus *Mithra* in deliciis erat [3]. Poſt illos Romanos commemorat, & ludos *Apollini ſacros*, ab illis ex lege a populo lata, Q. Licinio Varo Praetore Vrbano, ante diem III. non. Quintilis maxima cum apparatione, vel potius licentia peractos. Poſtremo ad Graecos progreditur, in quibus nihil ſanctius, nihil celebrius *Eleuſiniis myſteriis* [4]. Ita principes orbis regiones dicendo, ſcribendoque peragrat, ut, quamvis diverſa ubique ſint Numina, diverſaque eorum myſteria, attamen apud tot varias gentes nullam *initiationem*, *lavationemque*, nulla *aquae aſpergimina*, nulla *emundationis auſpicia* crimine vacare in univerſum demonſtret doceatque, in imitandis Chriſtianorum ritibus .....

quan-

1 Vide locum *de praeſcript. Haeretic.* quem exſcripſimus pag. 196.

2 Confer Pauli Erneſti Iablonski *Pantheon Aegyptiorum Part. II. lib. III. cap. I. Francofurti ad Viadrum* 1750. Ex Aegyptiis ad Romanos permanaſſe Iſidis cultum, atque hinc in devictas barbarorum provincias delatum fuiſſe, permulta ſunt veterum ſcriptorum teſtimonia, quae memorant, planeque evincunt. Argumentum copioſe, eleganterque exornavit eruditiſſimus Joh. Gottlob. Boehmius Lipſienſis Profeſſor in Libello *De Iſide Suevis olim culta* §. IV. *Lipſiae* 1748. Penes Germanos hujus Deae religionem vel maxime obtinuiſſe, & illic ſub navigii figura cultam praecipue fuiſſe, probat Boehmius in poſteriori ejuſdem thematis exercitatione, quam anno inſequuto ibidem vulgavit. Qui tamen multa cum laude nominat Regiae noſtrae Academiae Pariſienſis ſodalem de Fonteu, qui *Tom.* V. commentariorum ejuſdem Academ. duplicem de eo argumento jam dederat diſſertationem. Adi etiam, ſi quid opus ſit, Iulii Caroli Schlaegeri, viri doctiſſimi, *Commentationem de Nummo Hadriani plumbeo*, & *Gemma Iſiaca cap.* VII. *Helmſtadii* 1742.

3 *V. not. ad pag.* 196.

4 Pauſanias *in Atticis*, Ariſtides *in Eleuſin.* Iſocrates *in Panegyr.* Eleuſinia Cereris ſacris Iſiacis fuiſſe ſimilia, probat Caſtellanus ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΩ. Vide quae attulimus pag. 7.

Digitized by Google

......quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent ....

Jam vero tantum abeſt, ut morem illum *villas*, *domos*, *templa*, *totaſque urbes circumlatae aquae aſpergimine expiandi* ab Eccleſiae Chriſtianae moribus alienum eſſe dicat, quod potius omni hac ſua oratione illiús ſanctitatem, & efficientiam admodum commendet. Enimvero cur *viduas* appellat *aquas* ad ſuas expiationes ab Ethnicis comparatas, niſi ut inſigne, magnumque diſcrimen oſtendat, quo illae a noſtris differunt, quibus Spiritus ſancti affuſa virtus emundandi, & ſanctificandi vim attribuit [1]? Tertullianus ergo eaſdem expiationes a Chriſtianis uſurpari neceſſario putabat.

Qui enim aliter effectuum differentiam poterat conſtituere, niſi duae res, quas effectione omnino diſpares dicebat, exſtaſſent? Quod ex ſequenti illius dictione multo magis comprobatur. Sic enim Ethnicos premit, & ex eorum opinione argumentum arripit, quo noſtrarum luſtrationum praeſtantiam evincat. Nam ſi aquam, ait, *ſola ſui natura*, *quod propria materia ſit abluendi*, *regenerationem*, *impunitatemque* largiri poſſe, Gentiles ſibi *blandiuntur*, *quanto verius* efficere id poterit, ſi *per Dei auctoritatem* fuerit illa conſecrata? Pergit inſuper. Si aquam *religionis* ergo *medicari* putant, quae erit religio, ex qua id liceat potius expectare, quam *Dei vivi?* Quaero nunc, qua ratione, quave dialectices lege potuiſſet umquam Tertullianus Ethnicorum, & Chriſtianorum luſtrationes iterato, invicemque comparare, niſi in utraque religione ſciviſſet, vidiſſetque uſitatas? Tantam porro lucem, fidemque ſibi ipſi conciliat Tertulliani ſermo, ut non tam, me monente, quam ſua perſpicuitate, ac vi illa in legentium animos illabatur coſequutio: nihil tam vero eſſe contrarium, quam

 Ter-

1 *L. c.* S. Paullinus epiſt. ad Severum XII. luſtralis aquae ſanctificationem hoc diſticho complexus eſt.

Sanctus in hunc coelo deſcendit Spiritus amnem,
Coeleſtique ſacras fonte maritat aquas.

Tertulliani aetate Eccleſiam *aquae benedictae* fuiſſe expertem. Nondum ergo heterodoxos pudet ſceleſta quidem, ſed ridicula κρύψεις ea nobis objicere, ex quibus contrarium efficitur, noſtraque percommode roboratur, & convalet diſciplina?

Sed nihil de doloſis auſibus remittunt, & qui nos Ethnicae ſuperſtitionis reos vocarunt, tandem Donatiſticae perfidiae inſimulant. Inaudita haec, & invida accuſatio a Baſnagio inventa eſt, qui Optati Milevitani teſtimonio id ſe invicte conficere praeſumit. Ne quid itaque in praeteritis relinquatur, quod ad iſtorum hominum φιλονεικίαν patefaciendam ſpectat, Optati verba apponamus. *Jam illud quale eſt, quod in multis locis etiam parietes lavare voluiſtis, & incluſa ſpatia ſalſa aqua ſpargi praecepiſtis? O aqua, quae dulcis a Deo creata es! O aqua, quae ſub Moyſe, ut natalem perderes amaritudinem, indulcita ligno tot populorum pectora ſuaviſſimis hauſtibus ſatiaſti! Reſtabat tibi poſt promotionem non leviter degradari* [1]. Ignota igitur, concludit Baſnagius, Optato fuit ſalis, & aquae mixtura, qua aqua benedicta conficitur, nec Chriſtianorum, ſed Donatiſtarum diſciplina haec eſt: tantumque firmamenti, praeſidiique huic argumento ineſſe venditat, ut *nullo modo ſolvi poſſe* inſolentius affirmet. Proh Deum immortalem! Quis umbratico doctori de inani victoria turgeſcenti non ſuccenſeat? Quis tam patiens, tam ferreus, ut teneat ſe, animadvertens, veritatem compoſitis, meditatiſque mendaciis opprimi, ac proculcari? Atrox illud bellum, magnumque irarum aeſtum, quo a Donatiſtis in Sacra omnia Catholicorum ſaevitum eſt, memoria repetere haud pigeat, ſtatimque ſolis luce clarius emerget, aliud omnino illud eſſe, de quo Optatus conquerebatur, quam quod Baſnagius confinxit. Quum Baſilicas omnes, earumque partes, & ornamenta, *interveniente livore, & judicio ſuperbiae ſuae* (ut Optatus ipſe ſcribit) polluta, infectaque reerentur, quod a Caeciliano, ejuſque ſucceſſoribus conſecrata, dedi-

1 *De Schiſmate Donatiſtarum lib.* VI.

dedicataque fuiſſent [1]; idcirco quidquid disjici, frangi, diſperdi nequaquam expediret, ſaltem radi, lavarique oportere volebant. Quamobrem hoc unum ſacrilegae expiationis genus *parietibus*, & *ſpatiis* altare circum *incluſis* expurgandis adhibebant. Vt vero quodcumque conſecrationis ab Orthodoxis habitae veſtigium ex illis delerent, aqua, non ſale de induſtria affuſo, ſed eidem congenito *SALSA*, nempe *Marina*, cui multo potior tergendi, arrodendique vis indita eſt [2], utebantur. Quod profecto erat Donatiſtis percommodum, factuque facillimum, quippe qui Optati tempore urbes potiſſimum incolerent, quae brevi a mari removebantur intervallo. Vaniſſima itaque fallacia a Baſnagio contexta in ea vocula (*ſalſa*) conſiſtit. Sed quis eſt, qui vel levem Latini ſermonis notitiam hauſerit, qui probe non teneat, *ſalſi* nomen vere, proprieque pelago, ejuſque aquis convenire? In recta hujuſce vocis uſurpatione teſtanda mire conſpirant veteres ſcriptores. Virgilius *Aeneid.* v. Menoetem a ſociis irriſum deſcribens, poſtquam fundo redditus imo, & ex mari egreſſus in rupe reſedit, inquit:

Et ſalſos rident revomentem pectore fluctus.

Juvat & illud Horatii in libro Epodon Ode XVI.

Ametque ſalſa levis hircus aequora.

 Neque

1 Improbae Donatiſtarum inſidiae, & nefariae molitiones nemini non notiſſimae ſunt. Aequius ergo feciſſet Hermannus Witſius, qui hujus ſchiſmatis hiſtoriam poſt Valeſium ſibi ſumpſit deſcribendam, (*Varia ſacra tom.* 1. *lib.* IV. *Herbonae Naſſav.* 1712.) ſi in furioſos eos homines illa conjeciſſet maledicta, quibus libellum exorſus eſt, ac *beſtias ex abyſſi puteo emergentes* Donatiſtas potius appellaſſet, quam Catholicos; qui, ſi quandoque in rectae fidei deſertores invehuntur, Religionis jura, & Reipb. jura, ſalutemque tuentur.

2 Vndenam maris ſalſedo revera, ac primario repeti debeat, Phyſicis inquirendum libenter permittimus. Sed illud extra dubitationem poſitum, ex aqua marina ſalem artificioſe exprimi, qui ſumma pollet activitate. Imo vero aquam ipſam marinam novimus in experimentis Chymicis ad fermentationem ciendam, ad partium inſenſibilium diſſolutionem procurandam, ad ſcabra Corpuſcula obtundenda, conterendaque adhiberi. Quibus oſtenditur, multo majorem huic aquae, quam fontali, aut fluviatili, aut puteanae abſtergendi, exedendique vim eſſe datam.

Digitized by Google

Neque his poetis tantummodo, quamvis hi ſummam verborum proprietatem ubique ſectentur, fidem haberi volo. Ariſtoteles porro problemata omnia ad mare pertinentia libera oratione expediens, ſali undas *τὸ ἁλμυρὸν ὕδωρ* perpetuo nuncupat [1]: quo dictionis genere omnes hiſtoriae naturalis, ac etiam medicinae antiqui deſcriptores uſi ſunt. Ab hac loquendi proprietate certe non receſſit, Optatus, qui impium illud Donatiſtarum purgamen *aquae ſalſae* nequaquam dixiſſet, ſi fontali, aut puteano humore conſtaſſet. Nam quae more Catholicorum benedicitur, ſacraturque, non ea eſt, quae ullo modo *Salſa* queat appellari. Jam vero perſpici facile poteſt, quid ſit, de quo ſanctiſſimus Milevitanus Epiſcopus conqueratur, quidque peſtem illam Donatiſtarum novo, ac turbulento conſilio in Eccleſiam invexiſſe dicat. Nuſquam ad eum diem in Sacris Chriſtianorum aqua obtinuerat, niſi quae *dulcis a Deo creata* fuerat. Haec baptiſmo conferendo, haec in religioſis balneis, haec capitilavio, pedilavioque perficiendo, haec *χερνίβῳ*, haec canonicae purgationi adhibita, haec denique in omni expiationum genere uſurpata. Eapropter Optatus illius naturam, proprietatemque ſummis effert laudibus, miraturque, Donatiſtas eò inſipientiae, & novitatis deveniſſe, ut aquam dulcem *degradarint*, ſcilicet de antiquo, conſtantique ſuo munere, officioque deturbarint, & in illius locum marinam, ſalſamque ſuffecerint; quae Ethnicorum potius [2], quam Chriſtianorum diſciplina fuerat. Haeccine illa eſt adeo ſubtilis, adeo nervoſa, adeo arcte colligata Baſnagiana argumentatio, quae *nullo modo ſolvi poteſt*? Sed quid in ea mireris, praeter hominis ingenium ex impudentia, & improbitate concretum?

Mihi

1 *Problematum ſect.* XXXII.

2 Fuerat hoc Ethnicis perſuaſiſſimum, ſingularem vim, & naturam eſſe mari tribuam quamcumque foeditatem, qua ſe homines polluiſſent, abſtergendi, delendique; quare ab Euſthatio Theſſalonicenſi *Iliad.* α. eſt dictum: *διὰ ϗ παροιμία φησί· θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά*: *unde proverbium ortum: mare abluit omnes hominum ſordes*. Hinc aquam marinam ad ſe ſe emaculandum, qui ſontes eſſent, adhibebant, ipſaque purgamina poſt artus expiatas in mare projiciebant. *Vide pag.* 6. & 7. hujus operis. Sed nihil tale nunquam a Chriſtianis eſt factum.

Mihi itaque non eſt dubium, neminem fore, qui (ſi quidem contentionis, partiumque ſtudio ſepoſito velit judicare) non videat, planeque non ſentiat, nullo in numero eſſe habendos id genus litteratores; quos aut inſcitia veri, aut defixa animo vafrities ſic tranſverſos agit, ut puris, putis falſimoniis, legi vix dignis, ritus & temporis diuturnitate, & Patrum conſenſu bene, ſanctequé conſtabilitos conentur de veteri poſſeſſione dejicere, & e Chriſtiana Republica exterminare. Laetor proinde, hunc me ſuſcepiſſe laborem, ut, quantum tenui ingenio providere poteram, oſtenderem, hanc unam iniquiorem viam in noſtris praeſertim luſtrationibus reprehendendis, refutandiſque iniviſſe Romanae religionis detractores. Horum malevolentiam, atramque invidiam toto hoc opere jam declaravimus, vel potius evicimus; ſed antequam hinc abeo, liceat in exemplum trahere, & cauſſae definiendae excitare Syneſii Epiſcopi Cyrenes placitum, animadverſione digniſſimum. Is enim ineunte ſaeculo v. Anaſtaſio Hydrocomitae ſcribens egregiam admodum comparationem inter Imperatoriam, & ſacram poteſtatem inſtituit, qua aquam luſtralem gladio ultori propemodum aſſimilat. Nimirum, inquit ille, ea ferme ratione, qua Princeps tradito ſibi a Deo gladio ſceleratorum vitia, auſuſque comprimit, hominumque ſocietatem malis civibus expurgat, ita Eccleſia, aqua in ſacris aedibus cuivis propoſita, nocentes Diaboli artes repellit, & *ſpiritales nequitias* avertit: *ὡς ἐςί γε τὸ δημόσιον ξίφος ὐχ ἧττον, ἢ τὰ ἐν τοῖς προτεμενίσμασι χέρνιβα πόλεως καθαρτήριον; quandoquidem publicus gladius non minus, quam aqua luſtralis; quae in templorum veſtibulis collocatur, civitatis expiatio eſt*[1]. Quo datur intelligi, eas ipſas luſtrationes, quas Heterodoxi averſantur, habentque ludibrio, Syneſii aevo non modo fuiſſe publico, communique uſu receptas, ſed Epiſcoporum judicio malis geniis coercendis, & rebus Chriſtianorum emaculandis, ſanctificandiſque praeſtantiſſimam vim obtinuiſſe. Sed hic ab oppugnan-

1 *Epiſt.* CXXII. memorat. edit.

gnandis adverſariis deſiſtamus, & ſcribendi aliquando ſit finis. Perſtricta breviter Chriſtianarum balneationum, lotionumque hiſtoria, corrogatis undique teſtibus, exploſis Haereticorum argutationibus, perſpicue, cumulateque me demonſtraſſe non arroganter confido, caeremonias, religioneſque, quibus Eccleſia ad ſordes tergendas, filioſque emundandos variis temporibus uſa eſt, a primis fidei noſtrae ſatoribus, ac magiſtris eſſe profectas, nulla umquam ſuperſtitione apud noſtros laboraſſe, &, quae hodiedum ſuperſtites ſunt, prudenti, ſanctoque conſilio retineri. In unius itaque Romanae Eccleſiae ſinu nos natos, altos, educatoſque eſſe gratulemur. Illius inſtituta, moreſque nihil haeſitantes amplexemur, quae ſola veritatis, optimaeque diſciplinae auctrix, & conſervatrix eſt, ab eaque non extimam ſolum corporis, verum longe meliorem, maximeque optandam criminum emundationem, qua ad per beatam immortalitatem panditur via, unice praeſtolemur. Βαλανεῖον γὰρ, monente Chryſoſtomo, ἐστὶν ἡ Ἐκκλησία πνευματικὸν, οὐ ῥύπον σώματος, ἀλλὰ ψυχῆς ἀποσμήχον κηλῖδα τοῖς πολλοῖς τῆς μετανοίας τρόποις; *balneum enim ſpiritale eſt Eccleſia, non corporis ſpurcitiem, ſed animae labes variis poenitentiae modis abſtergens* [1].

1 *Homilia in ep. xv. in ep. II. ad Corinth.*

EXPLICIT FELICITER.



Digitized by Google

EXCVDEBANT
NICOLAVS . ET . MARCVS . PALEARINI . F.
TYPOGRAPHI . ROMANI
AD . THEATRVM . POMPEII
ANNO CIↃIↃCCLVIII.
PONTIFICATVS
SS. D. N. CLEMENTIS XIII.
ANNO . PRIMO

Digitized by Google

INDEX RERVM

MEMORABILIVM

QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A

ABlutio manuum ante rem divinam ab ipſis Eccleſiae incunabulis uſitata. 124. ejuſmodi ritus duplex cauſſa. 125. criminum ſuſpicio per ipſam amovebatur. 128.
Ablutionum Chriſtianarum ritus optimo conſilio inſtituti, magnique ſemper habiti. 9.
s. Aemilianus ſalem aquae injicit Diabolo fugando. 173.
Aegyptii Iſidis Sacerdotes cur ſupercilia, & capita ſibi raderent. 68.
Aeſtuaria ad balneandum in ſingulis veterum monachorum coenobiis. 84.
s. Agapitus PP. quomodo Euchariſtiam miniſtrarit. 127. *not.*
Agelius Antonius Cler. Reg. vir doctrina abundans. 129.
s. Agnellus Epiſc. Neap. ſaponem ſancit dari pro labandis ſuris. 46.
Agnus Dei. *V.* Ritus.
Aiſtulphus Rex Romam obſidet, excidiumque minatur. XVII.
Alcadinus Poeta Siculus. 50.
Allegranza Joſeph laudatus. 140. *not.*
s. Ambroſius cur Theodoſium ab Eccleſiaſtica communione prohibuerit. 180. in eo Baſnagii erratum. 179.
Anabaptiſtarum ſecta quam miſere Eccleſiam divexaverit. 119. ſactiones variae, inter quas Podoniptae. *ib.* eorum haereſis quaenam. 120.
Anachoritae veteres atro pallio, pullaque veſte utebantur. 87. hujuſmodi ritus cauſſa, 88. Latinorum tamen non omnis veſtitus nigrans. 89.
Anathemata, & dirae in antiquis monumentis. 164. *not.*
Antonellus Nicolaus Praeſul ſacrarum rerum ſcientiſſimus. 35. citatus. 88.
Apameenſis Cleri libellus; & querelae. 146.
Apoſtoli, eorumque ſucceſſores peculiari habitu inter ſacrificandum uſi. 149.
Apoſtolicarum Conſtitutionum liber an apocrybus. 25. ejus antiquitas. 185.
Apoſtolorum Canones. de his varia judicia. 183.
Aqua baptizandorum ingenti caeremoniarum apparatu conſecrata. 158. incorrupta, & recens ad duos, & tres annos aliquando permanſit. 159. Poenitentibus vice Dominici corporis praebita. *ib.*
Aqua benedicta inter ſacramentalia. 176. etiam a Chriſtianis primitivis reſervata. 181.
Aquam benedicendi ritus antiquiſſimus. 172. etiam extra baptiſmi tempus. 182. veteres ſanctiones de aqua ſingulis Dominicis diebus benedicenda. 183.
Aquae benedictae luſtratio in locum balneorum, caeterarumque lotionum ſucceſſit 169.
Aquae Claudiae caſtellum ubi. 36.
Aquae fluviorum, vel e fontibus profilientes ad animi munditiem ab antiquis adhibitae. 5. marinae. 6. balneares. 7.
Aquae probationis uſus apud Chriſtianos ad calumniam propulſandam. 129. hujuſmodi purgationis ritus. 130. unde petitus. 131.

 Aqua-

Digitized by Google

Aquarium Byzantinum ad s. Diomedis. 163.
Aquiminalia apud Chriſtianos in locum balneorum ſuccedunt. 132.
Aries, & lepus in Chriſtiano emblemate quid ſignificent. 153. item agnus ante crucem. *ib.*
Ariſius Paullus Cler. Reg. inſignis Ep. & ſcriptor. 119. *not.*
Arminianorum, ſeu Remonſtrantium ſecta quid de ritibus cenſuerit. 103.
Arretii commune Hildebrandum Girataſca equitem creat, expoliatumque in balneum collocat. 102.
Arſenii Patriarchae exilium. 96.
Aſcetarum cura de balneis conſtruendis, conſervandiſque. 84.
Aſpergendi ritus a ſuperſtitione vindicatus contra Magdeburgenſes, alioſque Haereticos. 187. & ſeq.
Athenienſes fontem Calliroe ad ſacram luſtrationem adhibebant. 5.
Auguſtinus balneo uſus. 18. ejus verba de Catechumenorum lotione explicata. 22.
Avitabilis Petrus Cler. Reg. illuſtris apud Colchos legatus vindicatur. 127.

B

Ballerinus Veronenſis notatus. 23.
Balnea inter praecipua humanitatis inſtituta. 3. incertum quinam ea primum excogitaverint. 4. Religionis, pietatiſque cauſſa invecta. 4. ad flagitiorum purgationem adhibita. 7. in Italia longe magnificentiſſima. 8. antiquorum prodigalitas in iis exſtruendis, exornandiſque. 44. eorum uſus Chriſtianis minime interdictus. 14. 15. 18. in balneis quandoque ſacra myſteria peracta. 90. Concilia celebrata. 93. 94.
Balnea ſacra Chriſtianorum vel templis contigua, vel coenobiorum ſeptis concluſa. 8. nemo adhuc ad ea illuſtranda animum adjecit. 8. ea ſumpturi Euchariſtiam adibant. 24. in nocte Natalis domini. 25.
Balnea ſacra jure Aſyli donata. 28. in commodum Miniſtrorum ſacrorum exſtructa. 31. ad purgationem adhibita. 44. Monachis certis diebus praeſcripta. 83. a Graecis prope ad ſuperſtitionem exculta. 95. nullo uſu ea temerare fas erat. 96. ſigno Crucis, ſacriſque imaginibus ornata. 97.
Balneorum uſus ſacrae militiae tyrocinium. 100. prima conferendi ordinis caeremonia. 101. Ethnicis nonnullis diebus interdictus. 104. etiam Chriſtianis quadrageſimalis jejunii tempore. *ib.* maxime vero in magna Paraſceve. 105. poenitentibus. *ib.*
Balneum templi Apoſtolorum Byzantii a Conſtantino Magno conſtructum. 28. Romae ad s. Stephani ab Hilaro PP., ad s. Pancratii a Symmacho, ad s. Petri ab Hadriano I., aliud a s. Damaſo. 29. prope Paracellarium a Gregorio IV. 30.
Balneum ſacrum Formoſi Papae quomodo a Ciampinio detectum. 33. ejus deſcriptio. 34. explicatio. 36. & ſeq.
Balneum Ravennae a s. Victore Epiſc. refectum. 43. Ticini a s. Damiano exſtructum. 45. Neapoli a s. Agnello. 46. & a s. Noſtriano jam inde a Theodoſii, & Honorii temporibus. 47.
Balneum in ſinu Puteolano. 49. cur Fons Epiſcopi dictum. 50 ejus deſcriptio. 63. balneum magnum Conſtantini. 95. Eccleſiae Byzantinae. 96.
Balſamonis Theodori reſponſa ad Mar-

Digitized by Google

Marcum Patriarcham. 106. ſententia de aqua in Noviluniis conſecranda. 160.
Bapiſterium antiquiſſimum Syracuſis aſſervatum. 165. popularium de ejus aetate ſententia. 166. auctoris opinio, 167.
Baptizati per hebdomadam quotidiano lavacro cur abſtinerent. 107.
Baraterii Joh. Philippi ſententia de antiquitate Conſtitutionum Apoſtolicarum. 25. *not.*
Baſnagii Samuelis de luſtrali aqua errores confutati. 171. *uſque ad* 185. idem Catholicos Donatiſticae perfidiae nefarie inſimulat. 210. vaniſſima ejus fallacia. 211.
Baylaeus Petrus reprehenſus. 17.
s. Benedicti Anianenſis Regula balnea mandat per feſtas ſolemnitates. 82.
Benedicti xiv. ſapientia commendata. vi. 23. 33. 39. 149. 159.
Berlendis Franciſci Clerici Reg. viri in ſacris litteris doctiſſimi opus. 125.
Bibliothecae novae deſcriptor Gregorium M. maledictis exagitat. 191. egregius Pontifex vindicatus. *ibi*, & *ſeq.*
Bineus quid de lotione manuum a Pilato praeſtita ſenſerit. 128.
Byzantina balnea recenſita. 95.
Blanchinius Joſeph de Thermis Damaſianis quid ſenſerit. 30.
Boehmii Gotlieb. libri de Iſide Germanorum. 208. *not.*
Bottarius Johannes laudatus. 141.
Buddei Jo. Franciſci de ſacris luſtrationibus opinio confutata. 202.
Bulgari ad veram Religionem converſi. 39. cauſſam, utrum balneis iv. & vi. feria uti fas eſſet, ad Nicolaum Papam deferunt. 106. Papae reſcriptum. *ib.*
Buxtorfii de Chriſti pedilavio ſententia. 118.

C

Caeremoniae inſtrumenta, quibus noſtram in Deum pietatem promimus. 201.
Caeremoniarum inter Judaeos & Chriſtianos ſimilitudo cur non abſurda. 200.
Cajetanus Octavius de cratere marmoreo Syracuſano quid crediderit. 166.
Calliroe fons Athenienſium pro ſacra luſtratione. 5.
Canones Apoſtolorum. v. Apoſtolorum.
Canonarium Johannis jejunatoris. 159.
Capitilavii ritus ab Eccleſia Hiſpanica invectus. 111. ex ea ad Gallicanam dimanat. 112. quibus diebus perageretur. *ib.* apud Romanos non invaluit. *ib.* quando etiam apud exteros defierit. 113.
Capitularia Regum Francorum de pedilavio Peregrinorum. 115.
Capitulare Herardi. v. Herardus.
Caracciolus Antonius Clericus Regul. laudatus. 48.
Carafa Joſeph Cler. Reg. rerum Theologicarum, & Canonum ſcriptor peritiſſimus. 36. *not.*
Caſtaldus Andreas Cler. Reg. Liturgicae doctrinae laude commendatus. 125. *not.*
Caſaubonii de pedilavio ante Coenam ſententia. 118.
Catechumenatus caeremoniae in marmore repreſentatae. 145.
Catechumenis quaenam ante Baptiſmum praecederent. 22. eorum in balneis purgatio. 23. in baptiſmo toto corpore tingebantur. *ib.*
Cerinthi, & Ebionis deliratio de legalium obſervantia in novo foedere. 300.

Cerinthus a s. Johanne in balneo viſus 15. ejus hiſtoria contra recentiores Haereticos fuſe propugnata. 17. & ſeq.

Cham in Aegyptum, & Phoeniciam veri Dei cultum primitus intulerat. 195. qui poſtea in Idolatriam eſt devolutus. *ib.*

Chriſtiani veteres a balneis non abhorrebant. 14. admiſſo aliquo flagitio, maxime impurae Veneris, lotione opus eſſe putabant. 19. hujus rei perſuaſio a IV. ſaeculo ad XI. *ib.* & 25. balnea adibant ad ſacra ſe praeparaturi. 21. maxime diebus ſabbatorum ob Dominicae reverentiam. 24. In nocte Natalis Domini Clerus, populuſque lavatum ibat. 25. ſejunctim a mulieribus viri lavabantur. 25. ea de re ſanctiones adlatae. 26. templa, aras, conchas Diis gentium dicatas ad verae religionis uſum transferunt. 57. Perſecutionum tempore divina myſteria ab eis in balneis peracta. 90. in balneo Timotino ad Viminalem. 91. cur ad preces fundendas prope flumen convenirent. 124. ante communionem manus lavabant, etiam ut divinum panem exciperent. 126. myſteria emblematis adumbrata ſibi ante oculos ponebant. 153.

Chronicon s. Vincentii ad Vulturnum autogr. Bibliothecae Barberinae. 88.

Ciampinius Joh. balneum Formoſi Papae invenit. 32. viros doctos ad illud inviſendum advocat. 33. ejus opinio non probata. 34. 35.

Ciſternae in atriis Eccleſiarum. 133. *ſeq.*

Clericalis coronae antiquitas. 64. 65. 72. contra eam Middletonii Angli ineptiae. 67. ſophiſmata extricata. 68. de ejus origine Salmaſii ridicula opinio. 70. Conciliorum de ea ſanctiones. 72. Clerici qui deponerentur, tonſura privati. 73. primis Eccleſiae ſaeculis id tantum Clericis praeceptum, ut breviori eſſent capillo. 74. pace Eccleſiae reddita raſilis circulus additus. *ib.* corona proprium Clericorum inſigne. 75. ea de re vetera monumenta. 76. myſticae ſignificationes. 77. Jacobi Martinii opinio confutata. 78.

Clerus Occidentalis Eccleſiae ab ipſis fidei primordiis barbam raſit. 64.

Codex membranaceus Bibliothecae s. Paulli Neap. inſcriptus *de Balneis prope Neapolim*. 50. cujuſnam auctoris ſit. 52. ejus ſchema explicatum. 54. poetae audacia notata, calumniaeque confutatae. 55.

Colvius Andreas celebris inter Calvinianos. 70.

Competentes cruce obſignati. 152.

Conchae in ſacrarum aedium veſtibulo ad lavationem collocatae. 132. ejus rei teſtimonia. 133. 134. monumenta figurata. 135.

Conſtantini balneum magnum. 95.

Conſtantinopolitani fideles in balnea confugiunt, ibique Paſcha celebrant. 92.

Cornelius Flaminius Senator Venet. laudatus.

Corſinus Eduardus vir ſapientiſſimus laudatus. 139. ejus divinatio in mutilam inſcriptionem. *ib.*

Cottelerius citatus. 26. 105.

Crateris Meſſanenſis epigramma explicatum. 194.

Crux etiam balneis aptata. 35.

D

Dallaeus Joh. inter ſophiſtas potius, quam inter Theologos numerandus. 108. ejus perverſa opinio de Ba-

Baptiſmi caeremoniis . *ib.* argu-
mentationis fallacia demonſtra-
ta . 109.
Danei Lamberti haeretici ridicula
expoſtulatio . 174.
Deylingius quid Mare aeneum por-
tendere arbitraretur . 123.
Dodreſtana Anabaptiſtarum Con-
feſſio . 120. Synodus . 203.
Dominico die balneum ingredi non
licere quidam ſuperſtitioſe puta-
bant . 105.
Donatiſtarum furor in Caecilianum
Epiſcopum. 70. in Catholicos ſa-
cerdotes . 71. in omnia Catholi-
corum ſacra . 210. iidem aquam
dulcem de antiquo , conſtanti-
que ſuo munere deturbant . 212.

E

Ebion apud Epiphanium proprium
hominis nomen . 17.
Ebionitae aquam coluere . 5. 8.
Eckardi Chr. Henrici calumnia .
165. *not.*
Eccleſia *balneum ſpiritale* a Divo
Chryſoſtomo appellata . 214.
Eccleſiae jus caeremonias antiquan-
di , vel immutandi . 168.
Eleuſinia myſteria apud Graecos ce-
leberrima . 208.
Encauſti fruſtula varii coloris in
balneis . 64. *not.*
Epaunenſis Concilii canon ſubob-
ſcurus fuſe explicatur . 192. *not.*
Epigramma vetus ad Veſevi radi-
ces . 6.
Epiphaniae die qua hora aqua con-
ſecraretur . 158.
Epiſcopii Simonis Leydenſis opi-
nio de ſacris Eccleſiae ritibus
quaenam . 203. eadem Philip-
po Limborchio ejuſdem Remon-
ſtrantium ſectae improbata . 204.
Catholica ſententia. 205.
Epiſcopi Graeci Dalmatica , Latini
penula antiquitus ornabantur. 62.
Epiſcoporum veſtes , & ornamenta
ex antiquo ſchemate recenſita ,
& illuſtrata . 58. & ſeq.
Equeſtres ordines cur inſtituti . 98.
Equites poſt balnea cingulo , &
torque aureo donabantur . 100.
Equites a Balneo, ſive Balnei , ſeu
Balneati , qui fuerint . 103.
Equitum creandorum antiqua ra-
tio . 100. & ſeq.
Ethnici cur Haebreorum inſtituta
imitarentur . 133. ab Haebreis
omnem colendorum ſuperum ra-
tionem addiſcunt . 195. eorum
aquae cur viduae a Tertulliano
appellatae. 109.
Etheldredae de balneo ſrequetando
exemplum . 83.
Euchariſtia a communicantibus in
manus excipiebatur ad octavum
uſque ſaeculum . 126. apud Col-
chos etiam uſque ad XVII. 127.
Eunomius Epiſcopus Samoſatae in
balneo conſiſtens , populum , ut
ſecum lavet , invitat . x.
Euſtatius de Matera auctor Epi-
grammatum de *Balneis prope
Neapolim* . 51. ejus dicteria con-
tra Praelatorum intemperantiam
notata . 53.
Exorciſmi ante baptiſmum . 145.
a quibus praeſtiti . 146.
Exorciſmi ritus in marmore ex-
preſſus . 145. Exorciſtae veſtes.
148.

F

Faſciolae furis contegendis ab ele-
gantioribus adhibitae . 47. Cleri-
cis interdictae . *ib.*
Felli Oxonienſis Ep. interpretatio
rejecta . 75.
Fons Epiſcopi balneum in ſinu Pu-
teolano . 49. cur ita appellatum ,
56.
Fontaninus Juſtus laudatus . 64.
72. *not.*
Fontes Baptiſmales nequaquam ap-
pellati balneorum nomine . 30.

Digitized by Google

Fontes in porticibus templorum ad populi lavationem. 157.
Formoſi acta poſt illius obitum reſciſſa. 37. *not.*
Formoſi Papae balneum. 33. Pontificis effigies ibi depicta. 36. & Stephani VII. juſſu abraſa. 37.
Formoſus Papa ante Pontificatum Bulgaros magno numero ad Dei cultum traducit. 39. ejus rei pictura in balneo. 40. corpus s. Hippolyti condit. 42.
Formula Euchariſtica gemmae inſculpta. XI.
Francigena illuſtris natio certis formulis ad ea, quae fortiter aggrederetur, ſe comparat. 99.
Fullo Perus quid in Graecorum ritibus immutarit. 158.

G

Gallanus Clemens Cler. Reg. vir doctiſſimus Armenos Eccleſiae Romanae reconciliat. 127.
Gallicana Eccleſia Podonipſiam cum baptiſmo diu conſociavit. 117. ejus precatio in Miſſali veteri. *ib.*
Gallicana liturgia ſaepe Goto-Hiſpanae affinis. 112.
Garampius Joſeph Chartophylacii Vaticani Praefectus auctoris amiciſſimus. 32. laudatus. 141. XIX.
Gaufridus Andegavenſis balneum adit, ut Eques renuncietur. 100.
Giratafca Hildebrandus quomodo eques creatus. 101.
Godefridus Bullionus equeſtris ordinis auctor, an ſacras lotionum caeremonias inſtituit. 99.
Graeca gens Neapoli antiquitus frequentiſſima. 61.
Graeci quarta & ſexta feria Chriſtianis a balneis abſtinendum putabant. 106. haec opinio a s. Nicolao I. improbata. *ib.* aliae eorundem cavillationes. *ib.*
Gregorius Magnus fana idolorum aqua benedicta aſpergi, inque veri Dei obſequium commutari jubet. 191. ea juſſio adverſus Haereticos vindicata. 193.
Gregorius PP. IV. Lateranenſia aedificia reſtaurat, inter haec balneum. 31.
Gregorii PP. M. narratio de Curiali, qui poſt crimen balneum adit. 20.
Gregorii PP. VII. ſententia de barbiraſio. 64.
Guillelmus Hollandiae comes, Rexque Alemanniae deſignatus, ſacra balnei lotione utitur, prius quam corona Aquiſgrani donetur. 101.

H

Haeretici qua ratione refellendi. IX.
Heineccii libellus *de habitu, & inſignibus ſacerdotalibus Apoſtolorum* puerilis, & inficetus, ac ſophiſmatibus leviſſimis conflatus. 150.
Herardi Capitulare de aqua benedicenda. 183.
Heterodoxi recentiores Irenaei, Epiphanii, aliorumque antiquorum narrationem temere in ſuſpicionem adducunt. 15. iiſdem ſuae factionis teſtibus confutati. 16. 17. poſt edita a Catholicis apologemata eaſdem Haereticorum antiquorum offucias, & apinas obtrudunt. 171. ſacrarum caeremoniarum infenſiſſimi hoſtes. 203. SS. Patrum teſtimonia de ſacris luſtrationibus depravant. 206. literatores putidi, nulloque in numero habendi. 213.
Hilarii Pictavienſis memorabile dictum de Haereticis. 205.
Holdſworſtianae doctrinae fucus, & verſutia. 201.
Hoſpinianus refutatus. 60. 187.
Hypodiaconi mentio in ſacris tabulis. 144.

Igna-

Digitized by Google

I

Ignatii Martyris epiſtola ad Philadelph. genuina. 17.
Illiberitani Concilii canon de lavandis baptizatorum pedibus. 116.
Imagines variae cum corona capillitia. 77. *not.*
Imago ἀχειροποίητος quae ſit. XVII.
Imagines non tantum ut exemplar, aut memoriale propoſitae. XIII.
Inſcriptio Graeca explicatur. XI.
Inſcriptiones variae. 138.
Johannes Chryſoſtomus cur a ſede ſua exulare juſſus. 92.
Johannes Diaconus in chronico Epiſcoporum Neap. emendatus. 46.
Irenes Typicum pro Virginibus ſacris. 84. *not.*
s. Iſidori lectio de capitilavio emendata. 112. 113.
Iſidorii Peluſiotae effatum de differentia lotionum. 20.
Ittigius Thomas citatus. 114.
Julianus ad Lectoris munus non admiſſus, niſi detonſis ad cutem crinibus. 73.
s. Juſtini ſententia ab Haereticis in contrarium ſenſum detorta. 206.
ΚΟΛΥΜΒΗΘΡΑ; varia hujus vocis ſignificatio. 164.

L

Labra porphyretica in atriis Templorum a Pontificibus aedificata. 134.
Lamius Joh. laudatus. 47.
Landulphi Epiſcopi Capuani Ponticale. 59.
Laodiceni Concilii canon de balneis androgynis. 26.
Lateranenſe Concil. IV. vetat aquam in probationem conſecrari. 130.
Lavationes balneorum inter caeremonias ſacras recenſitae. 25. promiſcuae a Conciliis interdictae. 26. jejunantibus, & poenitentibus vetitae. 105.
Laurentii, & Hippolyti imagines cur in balneo Formoſi Papae depictae. 40. 42. Quiritum erga hos Sanctos religio. 41.
Lector quo habitu in marmore expreſſus. 147.
Leonis IV. de aqua benedicenda ſanctio. 183.
Lightfootus Joh. refutatur. 115.
s. Lindani vetus imago qualis. 88.
Liturgia Gallicana ſaepe Goto-Hiſpanae affinis. 112.
Lollardi genus hominum gyrovagum, & hyppocritum. 170.
Lombardus Franciſcus Oratorum Armenorum apud Pium IV. interpres. 51.
Lotiones minores in Eccleſiam invectae III. capitis. 112. pedum. 115. inter Sacramentalia. 120. leves noxas tollere credebantur. 121.
Lotio manuum ante ſacrificium. 122. in eam omnium gentium conſentio. *ib.* quid myſtice ſignificaret. 123. ejus caeremoniae antiquitas contra Jo. Nicolaum. 124. per eam criminum ſuſpicio amovebatur. 128.
Lucas MeſſanaeArchimandrita. 163. ex Sicilia in proximos Brutios commigrat. 164. concham marmoream ad aquae conſecrationem fieri jubet. 165. epigramma ei inſculptum. *ib.*
Luſtratio nulla hodie apud nos niſi aquae benedictae. 169. in balneorum locum ſucceſſit. *ib.*
Luſtrationes Ethnicorum a Judaicae legis imitatione profectae. 196.
Luſtrationes v. ſaeculo malis geniis fugandis, & rebus Chriſtianorum ſanctificandis adhibitae. 213.
Luſtrationibus Evangelicis conſequimur, quod Judaicae pollicebantur. 202.

Ma-

M

Mabillonius laudatus. 24.

Magdeburgenſium ſocietas perperam lotionum uſum ab Ethnica ſuperſtitione manaſſe contendit. 187.

Magius Franciſcus Cl. Reg. laudatus. 85. ejus opinio de balneis improbata. 86. 87.

Mamachius Th. Maria ingenio, & eruditione cum paucis conferendus. 39.

Mannius Thermarum Florentinarum deſcriptor. 8.

Manus erecta, & in modum benedicendi conformata in marmore, quid innuat. 137.

Manuum lotio ante ſacrificium. 122. in eam omnium gentium conſpiratio. *ib.* ejuſmodi ritus antiquitas apud Chriſtianos. 124. cauſae. 125.

Marcianus Anthemii filius poſt tonſuram capillorum Sacerdotio auctus. 73.

S. Marciani Ep. Graecum elogium num faveat populari Syracuſiorum opinioni. 166.

Mare aeneum Haebreorum quid praefigurarit. 1. 2.

Marmor Ravennae. 140. Forocornelii 141.

Martinii Jacobi opinio de Clericalis Tonſurae antiquitate improbata. 78. 79.

Matera (Euſtatius de) libellus epigrammatum eidem attributus. 50.

Mayr Sigiſmundus Typographus e Germania Neapolim accitus. 50.

Mazochius Alex. Sym. vir ingentis nominis citatus. 48. 60. *Praef.* VII.

Mediolanenſis Eccleſiae conſuetudo de pedilavio baptiſmali. 116.

Meratus Cajetanus Cler. Reg. de ſacris ritibus praeclare meritus. 119. *not.*

Merillius quid de lotione manuum Pilati ſenſerit. 128.

Michael Bulgarorum Rex a Formoſo baptizatus. 39. ejus imago in balneo Formoſi depicta. 41.

Michaelis Paleologi facinus adverſus Arſenium.

Middletonius Anglus notatus. 66. ejus calumniae contra Catholicos confutatae. 67. ſophiſmata diſſoluta. 68.

Miniſtri ſacrorum quo ordine in antiquiſſimo ſacramentario depicti. 144. 145.

Miſena Eccleſia a Saracenis depopulata Neapolitano Epiſcopo demandatur. 63.

Mitra Epiſcoporum veterum depreſſior. 58.

Mittarellus, & Coſtadonius Annalium Camaldulenſium auctores laudati. 88.

Moguntiaci Concilii ſanctio de modo baptiſmi adminiſtrandi. 113.

Monachi veteres ſacrarum caeremoniarum propagatores. 81. lavationes ſacras conſtanter retinent. 82. quibus temporibus balnea iis praeſcriberentur. 83. eorum cura, ne balnea in monaſteriis deeſſent. 84. quibus veſtibus uterentur. 88. 89.

Monaſterii τῶν ϰαρίμων inſignis urna. 165.

Muſgrave refutatus. XIII. XIX.

Moshemius Laurentius an jure de invectis apud Chriſtianos lotionibus conqueratur. 25. ejus opinio probata. 18. *not.* refutatus. 17. 197. *not.*

Muſiva in balneis. 64.

Mythriaca myſteria, eorum initiatio deſcripta. 197. *not.*

N

Neapolitana Eccleſia balneis utebatur jam inde a Theodoſiii temporibus. 47. eundem morem caeteris longius ſervavit. 48. de ea celebre Petri Hypodiaconi effatum.

Digitized by Google

tum. 61. an duos Antiſtites antiquitus habuerit Latinum, & Graecum. 61.
Neapolitani Antiſtites veteres pallio inſigniti. 60. num Chorepiſcopum, aut Protopapam habuerint. 62.
Neophyti infantium nomine nonnumquam deſignati. 113.
Nicaenus canon vetans duos in una urbe eſſe Epiſcopos. 61.
Novarinus Aloyſius Cler. Reg. vir multiplici doctrina. 121.
Nummi Veronica ſignati. XVIII. & XIX.
Nymphea in templorum atriis ad fidelium lavationem extructa. 134. idem mos in Eccleſia Graeca. 155. putei aliquando appellabantur. 156.
Nymphei ſacri Piſaurenſis deſcriptio. 135. 136. aetas, & uſus. 137. ſymbola explicata. 138. & ſeq. uſque ad. 155.
Nympheum a Paullino Tyriorum Epiſcopo conſtructum. 156. a Juſtiniano in propylaeo s. Sophiae. *ib.*

O

Olei benedictio ad morborum curationem a viris ſanctis frequentata. 174.
Oliverius Hannibal V. C. ingenio, litteris, humanitate praeſtans. XI.
Optati Milevitani teſtimonium a Baſnagio prave explicatum. 210. ejuſdem genuina ſignificatio. 212.
Ordines equeſtres ad tutamentum Eccleſiae, & pauperum levamen inſtituti. 98. totum corpus in balneo colluere tenebantur. *ib.* prima apud Francos equeſtrium ordinum inauguratio. 99.

P

Paſneri Thomae de religioſis lavationibus judicium. 20.
Paſſius Chriſtophorus Matthias confutatur. 173. 198.
Palladii Galatae hiſtoria de Serapione Sindonite. 117.
Palladii Hellenopolitae exemplum de modeſtia in balneo ſervanda. 86.
Pallii Epiſcopalis forma pro temporum diverſitate varia. 59.
Parapſis Graeca vox explicata. 53.
Paſſerius Jo. Baptiſta laudatus. 135. Nymphei Piſaurenſis graphidem auctori tranſmittit. 136. ejuſdem explicationes probatae. 137. improbatae. 143.
Paſſioneus Domicus Card. doctiſſimus inſignia marmora in Tuſculanum receſſum advehit. 41. inter haec capſam, ubi SS. Martyrum Hyppoliti, Taurini, Herculiani, atque Jo. Calibitis corpora quieſcebant. 42.
Paſqualigi Zachariae Cler. Reg. inſigne opus de Sacrificio novae legis. 149.
Paulius Sebaſtianus ſacrorum rituum eruditus enarrator. 160.
Philippinus Jo. Antonius notatus. 93.
Pilatus manus lavit Haebraico more ad innocentiam teſtandam. 128.
Podonipſia, ſeu lotio pedum triplex. 114. erga peregrinos, & hoſpites frequentiſſime adhibita. 115. Monachorum leges de Pedilavio. *ib.* alicubi in baptiſmatis collatione. 116. 117. an Chriſtus pedes diſcipulis laverit ex Judaeorum inſtituto. 118.
Prodoniptae una ex Anabaptiſtarum factionibus. 119. quaenam eorum eſſet haereſis. 120.
Prideauxii Johannis, aliorumque Haereticorum errores de ſacrorum rituum origine confutati. 199. & ſeq.

Q

Quarti Paullus Cler. Reg. doctrinae ritualis peritus, citatus. 125.

Qui

Qui de Equeſtri militia ſcripſerunt. 99.

R

Ratherius Veronenſis Epiſ. quid Clericis ſuae aetatis exprobraret. 56. ejus ſanctio de aqua benedicenda. 183.
Redius Franciſcus laudatus. 101.
Reinerius Joh. Fabricius laudatus. 200. *not.*
Richardus II. Anglorum Rex Hiberniae Regulos equites a balneo conſtituit. 13.
Richardus Vincentius Cler. Reg. Graecarum litterarum imprimis ſciens. 77.
Ritus conſecrandi, & diſtribuendi orbes cereos agno ſignatos. xv.
Romana Eccleſia non modo doctrinae magiſtra, ſed rituum exemplar habita. 43.
Romana Eccleſia ſola veritatis, optimaeque diſciplinae auctrix, & conſervatrix. 214.
Romani veteres aqua Tyberina ad ſacra utebantur. 6.
Roperti Epiſcopi Euriae placitum. 164. *not.*

S

Sacra Peregrina. 197. *not.*
Sacramentalia ad divini numinis cultum pertinent. 175. eorum virtus. 176.
Saliſparſi antiquitas. 173.
Salmaſius Claudius notatus. 70. ejus ridicula opinio de Clericalis tonſurae origine. *ib.* Patrum ſententias detorquet. 71. 73.
Salſi nomen vere, proprieque pelago convenit. 211.
Schiavi Dominici odoeporicon.
Schlaegerus Julius Carolus antiquitatum cultor. 3. 208. *not.*
Scriptores varii de balneis, & thermis antiquorum. 4. 8.
Serapion Sindonites Mimorum pedes lavat. 117.
Sicelgaitae Duciſſae largitio Caſinenſi monaſterio pro balneo conſtruendo. 85.
Siglae Graecae extricantur. 162.
s. Silveſter PP. intra thermas Domitianas ſynodum colligit. 93.
Sliteſe Simonis ſepulchrum Fuldae. 140.
Spinellus Joſeph Cardinalis ampliſſimus de auctore optime meritus, laudatus. 10. ejus legationes in Belgio memoratae. *ib.* ingenium, & doctrina. 11. Liceum in Neap. Epiſcopio inſtituit. *ib.* Kalendarium ab ineluctabili fato vindicat. *ib.* in Eccleſiam Praeneſtinam litterarum ſtudia importat. 12. a ſapientiſſimo Pontifice in maximis negotiis conſultus, & adjutor adhibitus. *ib.* Praefectus Congreg. de Propag. Fide rationem ſtudiorum emendatiſſimam pro alumnis conſtituit. 13.
Spiridionis Ep. Trymithuntis exemplum. 115.
Statio ad Hoſpitale S. Spiritus in Saxia quando inſtituta. xviii.
Stephanus III. PP. imaginem ἀχειροποίητον in ſupplicationibus defert. xviii.
Subdiaconatus minoribus Ordinibus olim accenſebatur. 144.
Sudarium V. Veronica.
Symbola, & vaſa ſacrarum expiationum in templorum impluvio. 156.
Syneſii Epiſcopi Cyrenes placitum animadverſione digniſſimum. 213.

T

Tertullianus homo aſperrimae indolis balneo uſus. 18.
Tertulliani locus ab Haereticis dolo malo detruncatus. 207. idem late explicatur. 208.
Theodori Cantuarienſis Poenitentiale quid de balneis ſtatuat. 27.
Theo-

Theodoſii Imp. lex de balneis. 28.
Thermae Novati ad Viminalem a s.Pio I. dedicatae, ubi etiam ſacrificium offerebat. 91.
Thermae Quarcilianae pro Epiſcoporum collationibus delectae. 94.
Thomaſii ven. Joſephi Card. humile ſepulcrum. 93. epigramma eidem a Clericis Reg. inſcriptum. 94.
Thom. Philippi ridicula in Monachos dicteria. 55.
Timotinum balneum dedicatur, ubi fideles baptizati, & coeleſti cibo refecti. 91.
Tituli nomen unde Eccleſiis datum. 35.
Titulus Equitii. 92.
Toletani Concilii ſanctio de tonſura Clericor. 74. de pedilavio retinendo. 118.
TonſuraeClericorum antiquitas.65. quinam de ea ſcripſerint. 68. antiquae de ea ſanctiones. 72. quando corona fieri caeperit. 74.
Toreuma Forocornelienſe explicatum. 141.
Travaſa Cajetanus Cl. Reg. laudatus. 14.
Trullani Concilii canon de balneis androgynis. 26.
Turonenſis Concilii praeſcriptio de ratione ſumendae Euchariſtiae. 127.

V

Waldenſium nefaria opinio adverſus aquam benedictam. 170.
Valdus Petrus an Waldenſium parens. 169.
Vaſcula coemeterialia in ingreſſu cubiculorum cur poſita. 181. ridicula Middletonii de illorum uſu explicatio. 181.
Vaſis aquae benedictae a Graecis epigrammata inſculpi ſolita. 161.
VaticanaeBaſilicae monumenta cultum Veronicae antiquum probant. XVII.
Veronica ſic nuncupata antiquitus vultus Chriſti effigies *ibi*. cultus illius vindicatus,& aſſertus XVII. & ſeq.
Vert (de) opinio de manuum lotione exploſa. 126.
Veſtis candida, & linea proprium Clericorum indumentum. 148.
Vezzoſi Franciſcus Cler. Reg. inſignis Theologus. 173.
s. Victor Epiſc. Ravennae balneum ſacrum reficit. 43. & magnifice exornat. 44.
Vignolius laudatus. 30.
Virgines ſacrae ſolemnioribns feſtis balneo utebantur. 83.
Witſii de lavationibus Haebreorum ſententia. 122.
Vrna literata ex Pario marmore in Inſula Muriani. 161. ejus explicatio. 162.

Z

Zenonis Ep. Veronenſis ſententia explicata. 23. verba memorabilia. 113.

F I N I S

4AG 2013694


Digitized by Google



ORTHOGRAPHIA BALNEI FORMOSI PP.
EX COD·VATIC·NVNC PRIMO EDITA·

Digitized by Google

Digitized by Google



BALNEVM SACRVM
AD FIDEM ANTIQVÆ PICTVRÆ IN CODICE
MEMBRANACEO BIBLIOTH. S. PAVLLI NEAP.

Digitized by Google

Digitized by Google

Pars Antica



Pars Postica



Latus dexterum. *Latus lævum*





In Agro Pisaurensi

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB · IV ·



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google